
IHS


6
11 M I
55
VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZIONALE

Pontani discept. chronogr. chorogr.

I

II

IOHANNIS ISACI PONTANI

DISCEPTATIONUM CHOROGRAPHICARUM DE RHENI

divortijs & accolis populis

Adversus

PHIL. CLUVERUM

PARTES DUÆ:

Quarum prior antehac edita; altera novam Disceptationum ac responsionum ad ea, quæ idem Cluverus *Germaniæ suæ Antiq. passim inspersit, Syllogen complectens nunc primum prodit.*





HARDERVICI, *Typis Thomæ Henrici,*

Impensis HENRICI LAURENTII Bibliopolæ Amsterodamensis, *Anno* 1617.




Ad illustrissimos ac Præpotentes

FOEDERATARVM BELGII PROVINCIARVM

ORDINES GENERALES,

Præfatio.



MNIVM, quæ circa Rhenum colunt, gentium vix ullæ apud veteres, cũ Græcos tum Romanos scriptores vel laudatiores vel crebriores occurrunt, quam hæ ipsæ, quibus vos, illustrissimi ac potentissimi proceres, felici imperio præestis. Postquam enim enumerasset Tacitus Treviros, Nervios, Vangiones, Trebocos, Nemetes, Vbios, qui è Germania in Gallias migraverant, eorum omnium hos in Rheno infraque divortia Rheni populos virtute præcipuos esse ac celebratissimos testatus est. Quin & ijdem, ut prisca habent marmorum & historiarũ monumẽta, AMICI

& FRATRES & pars imperij Rom. habiti, exempti scilicet oneribus & collationibus, & velut tela quædam atque arma in usum præcipuè præliorum reservati. Nec gentis tantum, sed situs quoque ac regionum ratione aspectuque ita æstimavêre quondam Romanorum ipsi Imperatores ac Duces, dum *faciles hîc appulsus accipiendisque copijs & transmittendum ad bellum*, ut Taciti verbis dicam, *oportunitatem* animadverterent: Quod nimirum Rhenus apud agri Batavi principium in duos veluti amnes divideretur, quorum alter per Vahalim in Oceanum occiduum & Gallos; alter servans nomen & violentiam cursus obvio atque expedito in Oceanum Borealem Amisiamque & ipsas denique in gentes Germaniæ descensu duceret. Vnde & Drusus olim per Rheni hunc Boreum alveum, Isalam nunc dicimus, & Flevum ingenti classe Oceanum ingrediens in Amisia fluvio, priusquam ad ulteriores Germanias pergeret, pugnam navibus conservit vicitque Bructeros. Et eundem mox idemque secutus iter Germanicus filius, fabricata mille navium classe, *quarum aliæ*, ut nobis authores describunt, *breves angustaque puppe proraque & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent; quædam carinis planæ, ut sine*

noxa siderent; plures appositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio huc atque illuc appellerent; multa pontibus strata, super quas tormenta veherentur, simul apta ferendis equis aut commeatui, velis habiles, cita remis auctaque alacritate militum & legionum, quas vehebant, in speciem & terrorem, proxima se Germaniæ intulit. Quæ aliaque cum ad gentem ipsumque gentis vestræ territorium pertinentia & obvia ac decantatissima habeantur, hodie tamen vix uspiam magis apud Geographos laboratur, quam in enodando ac finiendo fluminum horum flexu ac positu populique nobilissimi ac bellicosissimi antiqua ac vera sede certis suis limitibus ac terminis constituenda. Nam licet olim, ut Plinius finivit, duo extima Rheni ostia essent, Helius & Flevus, osque tertium intermedium modici alvei; hodie tamen vix vola aut vestigium intermedij illius oris, & quonam loci in mare se exoneraverit, apparet, cum circa Rhinoburgum nunc stagnet ejusdem, quodcunque fuerit, ostij alveus, Lecca ex adverso aquis insigniter aucto. De quo si certo constaret aut constituere liceret, potissimam argumenti hujus difficultatem sublatam haberemus. quamvis interea probabilibus conjecturis, & quantum authorum ve-

terum aſpirans aura permittat, rem peragere annitimur. Aliàs verò, & extimum illud Boreale, Flevum hodieque appellatum, Rheni oſtium, qui inducto neſcio quo novo Nabaliæ fluento controverſum nunc facere inſtituunt, & eludere aut evertere quod antiquitati hac parte firmiter traditum; hi aut nodum in ſcirpo quærere, aut cornicum nobis oculos cōfigere voluiſſe videntur. Sanè inter ceteros, Hadrianum Iunium Hornanum, alterum illud poſt Eraſmum Hollandiæ decus, quod pleraque huc ſpectantia aut imperite aut maligne & in obliquum contortis authorum ſenſis intellectum protuliſſe Philippus Cluverus ante hoc nuper biennium, & quod excurrit, ad veſtrum etiam, illuſtriſsimi proceres, tribunal depoſitum voluerit, & veluti Germanus Batavo hunc eripere plauſum ſategerit, fidem in eo & candorem deſiderare coacti fuimus. Nam Rhenum ex Melæ, Plinij & Ptolemæi delineatione, qui nunc Iſalæ nomine notior, cum circa Flevum in Oceanum Boreum deduxiſſet Iunius, ſimul & illud oſtendit, huius aſpectu *Tranſrhenanos Friſios* itemque *maiores* appellaſſe Tacitum, *minores* vero, quos *in Rheno* inſulanos agnoſcit Plinius. Vt ita, dum medium hic Rhenum ex Tacito ijdem urgendum

gendum, & ultra eundem omne Rhenanum nomen deletum contendunt, non Tacito tantum & veteri Chorographiæ ex adverso contraria tradidisse, sed multa simul absona atque ἄτοπα incurrisse deprehendantur. Quæ tamen ipsa cum veterum fide ac testimoniis, quibus præcipuè hic standum, ità explicasse se existiment, ut simul confutaverint quæ recepta hucusque fuerunt, præcipuus & necessarius labor fuit, auctorum præsertim, quæ huc faciebant, loca ac monumenta quàm diligentissime excutere ac retractare, eaque recto suo sensu reddere atque interpretari. Ne dum suo commento nimium tribuunt isti, priorum diligentiam aut obscurasse, aut effecisse ut superiores nihil scisse, nihil vidisse videantur. Non quod dissentiri à quoquam, aut inventis majorum aliquid addi aut certiora quoque ac meliora receptis dari quispiam improbet, sed quod modus hic & modestia commendari, contrarium, etiamsi à vero haud dissentientia sæpenumero adferantur, nequaquam semper eandem laudem apud eruditos præsertim, & candida ingenia, mereri soleat. Nunc cum etiam à vero prorsus devia, & quod ad gentis antiquum decus sedemque ac fluminum flexum spectat, perplurimum

aberrantia producantur, occurrendum confidentiæ ac malo grassanti obviandum existimavi. Ne dum fabulosis narrationibus historiam & Patriæ res liberatum imus, subrepere illis ac succrescere deteriora multo permittamus, decepti nimirum speciosis promissis eorum atque interpretationibus, qui se hic solos esse Lynceos omniaque curva correcturos tanta cum serietate ac supercilio pollicentur. Accessit & fidentiores fecit, qui nostras jam olim in manus venit, Cornelius Haemrodius Amsterodamensis aliaque ad idem hoc argumentum pertinentia anonymorum quorundam fragmenta. Quos ad calcem Disceptationum additos atque emendatius post Amsterodamensium nostrorum editionem cum observatis nonnullis & quosdam etiam nunc primum publicatos haud minimam lucem, etiamsi balbutientes subinde atque in tenebris quasi micantes, hisce amphisbetematis ac controversijs, alijsque à memoria nostra remotis ac Chronologorum silentio involutis rebus, addidisse, ubi præsertim sana sequuntur, nostra hæc lecturi deprehendent. Nam aliàs, ubi à vero discedunt ac seculi sui nænias adferunt, Castigationibus & monitis nostris, quæ suis

quæque locis oportunè posita sunt, errorum non modo fontes atque occasiones aperuimus, sed deviantes quoque reducere in viam liberali manu conati sumus. Quæ omnia, sive origo atque antiquitas gentis, sive ipsa etiam chorographica spectentur, proprie ad historiæ nostratis illustrationem referenda veniunt; eoque aliquando suum usum ac fructus refundent. Vnde & singulari nobis cura incumbendum fuit, ut veritati non minus, quàm Patriæ suum decus redderetur: Et ità denique nostra superiorum adderemus inventis ac sagacitati, ut simul juvaretur sequentium diligentia. Quod in locorum ac lacuum fluminumque thematibus ac positu constituendo, vel maximè elaborandum atque elaboravisse nos existimamus, illud nimirum perpetuo ratum statutumque habentes, historiarum universam tractationē evanidam ac cæcā esse absque chorographiæ hoc lumine.

Vobis autem, viri maximi, & ad vestra subsellia manusque vestras quod hæc qualiacunque deferimus, haud simplex causa impellit. Nam cum annos ante complures clarissimus ille Bataviæ alumnus Hadrianus Iunius, Herculeo labore ad hoc iter & illustrandam Bata-

vorum gloriam gentiſque originem è ſitu vindicandam, conquiſitis undecunque ex vaſto illo cum primæ tum mediæ antiquitatis Oceano, quæ huc pertinebant, primus facem extuliſſet, haud aliis quam vobis earum vigiliarum fructus deberi exiſtimavit: Eumq; ſecutus nunc nuper, quem dixiſſe ſuperius puto, tanti authoris antagoniſta Philippus Cluverus, doctum ſcilicet docere cupiens, nec veſtrum quoque defugit iudicium. Quapropter eodem & nos eundum putavimus, idque tanto juſtius quanto cauſam noſtram cum Iunio conjunctam æquiori jure inniti exiſtimamus. Non quod defendenda omnia, ac ſingula quæque albâ ſignanda lineâ cenſeamus: Scimus multa excidiſſe maximo illi viro ac δευτέραις φροντίσι opus eſſe; ſed quæ recte tradita, & quæ Rheni, metatoris noſtri, exitum curſumque ſpectant, hæc, inquam, aſſerenda, ac veritati patrocinium ulterius hic deſiderari patriæ dedecus eſſe, ac manibus tanti viri indignum exiſtimavi. Et licet in tanto ætatis noſtræ doctiſſimorũ hominum choro non defuiſſent fortaſſis alij, qui nobis melius hanc ſpartam excoluiſſent, nos tamen, occaſione authorum ac præſidiorum, de quibus jam modo iniecimus, apud æquos omnes arbi-

tros ſatis excuſatos & ſaltem voluntatem non improbatum iri perſuaſum nobis habemus.

Vos itaque, V V. A A. æquis hæc animis accipite, in quibus non Epaminōdæ alicujus bella aut Miltiadis victorias, ſed veſtrarum provinciarum ſitum ac fluminum antiquos curſus exituſque, veſtræque gentis illuſtria facta trophæaque, etiam ab hoſtibus, immortalibus elogiis ac divite ingenij venâ ad poſteritatem tranſmiſſa legetis. Inter cetera Caninefates Batavoſque recognoſcetis gentem, ſi Galliam totam videamus, ejus, ut habet Tacitus, exiguam portionem, intra Flevum & Moſam conſtitutam, adſcitis in auxilium tranſrhenanis Friſijs, univerſum Romanorum imperium laceſſere ac quindecim eorum legiones provocare haud veritam, profitente ſe popularibus ducem Claudio Civili, regia Cattorum ſtirpe celebri ac ſplendido: Belli autem & irarum cauſa exiſtente præcipuè tributo & delectu Legatorum ac præſidum præter jus & morem gentis inſolentioribus: Adeo ut claro ſub exemplo imaginem ævi noſtri, & belli adverſus Hiſpanum annos propemodum quadraginta, veſtris ſub auſpiciis, Ordines potentiſsimi duce ac ſtratego

tego illustrissimo ac iuvictissimo principe Mauritio Nassavio, fortissime gesti, & nunc induciis duodecennalibus felicissime compositi, simulachrum in illo veteri intueri liceat. Nam Albani, Hispaniarum regis legati ac præsidis, superbum imperium cum armis occasionem dedisset, quænam aut opes aut regna, aut Rex longe lateque Dominus tantum valuerunt ut vobis libertatem eriperent? Decertatum est potius, & ità decertatum ut terrestribus non tantum victoriis, sed navalibus etiam vestris trophæis in alio, apud Indorum gazas, orbe defixis, id obtinueritis, ut ipse olivæ ramum prætenderit adversarius, & de tam diuturno componendo bello provincias sponte sollicitarit. Sed hæc Annalium duraturis monumentis consignata, nulla unquam ignorabunt secula. Quapropter, quod superest, iterum iterumque rogo ut hæc vestra vestrique territorij benignis ac lætis mentibus accipiatis, nostrumque studium ac voluntatis honestæ conatum esse vobis & gratum acceptumque sinatis: Deum Opt. Max. & venerans obtestansque ut vestra porro consilia, facta, cogitata omniaque studia ità dirigat secundetque ut Patriæ universæ salutaria feliciaque perpetuo eveniant.

eveniant. HARDERVICI, ipsis Kalendis Iunij. cIↄ Iↄcxiv.

VV. ILLVSTRISS.
DD.
deditissimus

IOH. ISACIVS PONTANVS
Med. & Philosophiæ professor.

LECTORI.

Ecce tibi, benigne Lector, Disceptationes nostras Chorographicas, in quibus, præter cetera, id operam dedimus ut singulis Capitibus Commentarij, *quem edidit Philippus Cluverus* de tribus Rheni Ostiis, &c. *Disceptationes nostræ ex adverso respõderent: Cumque plura subinde & varia in unum Caput conjecta occurrant, factum ut uni aliquando Capiti plures Disceptationes tributæ sint. Quapropter etiam Capita diversis numerorum characteribus distingui fecimus, ut nimirum Capita ex Latinis notis seu numeris; Disceptationes verò ex cypherarũ figuris distincta intelligerentur. Et ne quid, quod ad præsens institutum ullo pacto juvandum pertinere videretur, deesset; sub calcem Disceptationum adjici curavimus* Cornelium Haemrodium, *qui* Bataviam & Hollandiam, *id est, veterem & novum regionum harum situm, quantum fieri potuit, brevi quidem, sed haud ineleganti commentariolo ad vivum quasi expressit atque ob oculos posuit. Quibus auctarij vice bina insuper fragmenta accedunt anonymorum quorundam eodem pertinentia. Eaque omnia etiam hunc in finem curata sunt, imo poni atque addi necessario oportuit, quia non semel in ipsis Disceptationibus Haemrodiũ & anonymum illum priorem ad testimonium citamus: quemadmodum & tota illa Disceptatio quadragesima prima, ubi de Batavorum origine & falsis ac fictitijs*

ac fictitijs eorum regibus agitur, proprie ad Haëmrodium spectat. Confutatur enim eo loci, universa stemmatum istorum ac genealogiæ series, & unde fluxerit, aut potius ficta sit, veluti digito intento commonstratur. Sed cum hæc in ipsa præfatiuncula, quam suo inferius loco seriei isti præfiximus, indicata sint, hic repetere supervacuum puto. Illud tantum addam; plurima etiam ad urbes, quas intra Bataviam concludit Haemrodius, pertinentia, occasione ejusdem Haemrodij adiecisse nos, quæ haud ingrata chorographiæ studiosis futura speramus: præsertim si nō modo hic, sed passim in ipsis Disceptationibus, ubi, ut plurimum, chorographica occurrunt, in consilium tabulæ adhibeantur & pictus, *ut ille inquit,* Mundus *etiam hac terrarum particula* edifcatur. *Absque enim hac luce, cæca hic atque invia fere omnia deprehendantur. Accipias itaq;, benevole Lector, Disceptationes hasce & ita accipias ut nostrum saltem in juvanda re literaria studium ac voluntatem haud improbes. Sicq; nobis vale ac salve.*

ELEN.



ELENCHVS RERVM, QVÆ IN DISCEPTATIONIBVS ORDINE pertractantur.

Defen.

REGRESSIO,

De

Hol-

ADDENDA ERRATIS AD CALcem poſitis.

ERratis, quæ ſub calcem Diſceptationum appoſita ſunt, Lector hæc addat. Pag. 2. verſ. 10. *imperatum* leg. *imparatum*. Pag. 54. verſ. 4. *occurreat* leg. *occurrat* Pag. 108. verſ. 4. *precatus* leg. *precatus*. Pag. 181. verſ. 9. *annis equiſque* leg. *armis equiſque*. Si quæ occurrant alia ſimilia, Lector per ſe facile reſtituet.

SCRIP-



SCRIVERIVS ISACIO ſuo.

VEri patronus, ſævitiem & minas
Trado protervis in mare Balticum
Portare ventis. nec ferocem
Degener extimeo Philippum.

Quid moliatur Cluverus, unicè
Securus: O qui flumina, qui lacus,
Campoſque poſſeſſos Latinis,
Adſtruis, & Patriæ redonas!

Sic, Iane noſter, perge Philippicas
Ridere nugas, hunc calamo truci,
Hunc aſpero vexare morſu,
Teque tuaſque decet Camœnas.



DISCEP-



I.

DISCEPTATIONES
CHOROGRAPHICÆ
DE
Rheni divortijs atque oſtijs eorumque occolis populis:
COLLATÆ
Cum Philippi Cluveri de ijſdem Commentario.

Breve prolegomenon: cum excuſatiuncula Abrah. Ortelij. Zelandos quidem non eſſe Taciti Mattiacos, certo tamen aſpe-ctu ad eam gentem referri poſſe.



N homine rarum jam bonum humanitas, *ait quidam.* CAP. I. I.
Nam licet ab homine potiſſimũ derivetur humanitas, velut à parente ac fonte ſuo, tamen in eo omnia potius alia, quàm quæ eſſe debebant deprehendas ſæpenumero. Quod cum in alijs tum in ijs maximè culpa dignum, qui humaniorum inſuper doctrinarum ſtudijs, ut haberi volunt, operati, nihil, quod ad eam partem, à diſciplina traxêre. Solet enim, quod in animo eſt ferum, optimis ar-

tibus, atq; ideo ab humanitate nomen habẽtibus, emolliri et excitari ex adverso latens hæc virtus. Quã tamen ægrè & rarò id contingat, documẽto sunt, qui hodie calamo sæpe & stylo atrociora symmistis suis, quã gladio, bella indicunt gerũt q;. Nec id ob Græciæ aliquas opes, sed errores, ut ipsimet vocant; aut, si gravissimè dicere volumus, inscitiã, quæ humanitus contingit. Optavissem ab hac nota immunẽ Philippũ Cluverũ, virum alias à meliori literatura haud imperatũ, idq; eo præsertim in argumento, quod tot illustria & elegãtia ingenia exercuit, quodq; à Græcis Romanisque scriptoribus ita tractatum explicatũq;, ut Oedipo in multis nunc opus sit. At contra evenit, & vix locus aut caput occurrit eo in Commentario, qui de tribus Rheni ostijs Cluveri exstat, in quo non Critici tantum personam, sed pædagogi etiã vultum & objurgationes extimescas. Abrahamus Ortelius de Geographia præclarè meritus, qui Lemnij fortasse & Iunij aliorumq; opinionem secutus Zelandos Mattiacos facit, haud perfunctorie ipso statim in aditu vapulat, dum cerebrũ hominis imploratur, & vir à viris etiam laudatissimis semper laudatus infelix geographus
Pag. 205. Comm. *censetur. Sed cur ille solus crimen incurrit, cum & Meierus probatus historicus, non veritus jã olim Middelburgum, Zelandorum metropolim, Mattiacum interpretari, quasi Mattiaburgum? Et opinione falsos & errasse concedamus, quid*
jam

jam, nisi error & opinio improbanda, & illa ab amore magis in patriam, omnia in maius tollere sueto, quàm à pertinacia? Meliora docti, meliora certioraque secuti indubiè fuissent. Quamvis interea, cum in Germania, teste Tacito, Cattorum caput fuerit Mattium, cur diffitendum Zelandos, quatenus Catticæ prosapiæ sunt (cujus Cattium oppidum ante annos jam plures aquis absorptum, & turrim adhuc è fluctibus prominentē ostentans non leve vestigium relinquit) cur, inquam, præfractè diffitendum, referri ad eam gētem, hoc nimirum nomine & aspectu, Zelandos insulanos posse? ut ita non tantum contermini illi & socij, sed etiam consanguinei sint fuerintque jam olim Batavorum. Verum de eo plura mox ad Cap. VIII. *Disceptat. 15.*

Ager Maziacus Africæ, non Mattiacus Germaniæ intellectus Tacito lib. II. Annalium.

DVm adeò severè aliorum opiniones, vel, ut appellat, errores, notat ac castigat Cluverus, videamus an & ipse supra castigationem omnem positus, & quidem eodem illo capite. Sanè ibi haud obiter, nec ut illi studio quodam Deorum penatium, sed pertinaciter, idque adversus doctissimos non tantū seculi nostri viros, sed libros quoque tā cusos quā scriptos cōtēdit Ibidem. 2.

 Matti-

contendit Mattiacum esse in Germania intelligendum illum agrum, cujus meminit undecimo annalium Tacitus his verbis: Nec multo post, Curtius Rufus eundem honorem *(insignia triumphi)* adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti: unde tenuis fructus nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor, ecfodere rivos, quæq; in aperto gravia, humum infra moliri. *Hæc Tacitus. Quibus continenter subjicit Cluverus:* Quis malũ! adeò imminuti cerebri ac demens fuerit, qui argenti metalla in Zelandia quærere instituat? *At in Zelandia non fuerint, ergo in Germania apud Mattiacos intra id spatij, quo nunc Francofurtum, Marpurgum & Confluentes describunt, fuerint? Ita Cluverus asseverat: At illi quis credat aut concedat plenas Romanorum legiones ultra imperij limitem in hostico tã securè egisse, ut, positis armis, ligones tractarint? At, inquiet, in obsequio Romanorum Mattiaci fuère: in obsequio fateor, id est, ut alibi interpretatur ipse Tacitus, reverentiam imperio detulerunt, liberi interim & sui juris, oneribus deniq; & collationibus exempti: ut nihil alienius, quàm dicere cum totis legionibus legatum agris Mattiacorum incubuisse, eorumq;, si quod fuisset, argẽto ac subterraneis venis ecfodiendis easdem legiones fatigasse: Hoc enim eo loci Taciti verba de Rufo indicant cum ait,* legionibus cum damno labo-

no laborem oblatum, &c. *Quapropter nihil certius librorum veterum lectione, quam & docti viri, & inter cæteros, Justus Lipsius indicavit, legendum nimirum in* agro Mazyaco. *ut scilicet non apud Germaniæ Mattiacos hæc Curtij fossio peracta fuerit, sed apud Mazyes Africæ populos, cui & ipsi provinciæ hic Curtius præfectus. Obnititur nihilominus repugnatq́ Cluverus, & Tacitum non Africam provinciam innuere, sed Germanias, demonstrare magno molimine, sed accersitis argumentis atq́ indicijs conatur: & inter alia, quia scilicet proximè, quæ præcedunt Taciti verba de Corbulone loquuntur, qui expeditionem in Frisios fecerat, ista scilicet:* Insignia tamen triumphi indulsit Cæsar, *(Corbuloni)* quamvis bellum negavisset. Nec multo post, Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti: unde tenuis fructus, nec in longũ fuit. at legionibus cum damno labor, ecfodere rivos, quæq; in aperto gravia, humum infra moliri, quîs subactus miles, & quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum precantium imperatorẽ, ut quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret. De origine Curtij Rufi, quem gladiatorem genitum quidam prodidêre, neque falsa promise-

rim & vera exsequi pudet. Postquam adolevit sectator quæstoris, cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumento vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, & audita est vox: *Tu es Rufe, qui in hanc provinciam proconsule venies.* tali omine in spem sublatus, digressusque in urbem, & largitione amicorũ, simul acri ingenio, quæsturam, & mox nobiles inter candidatos, præturam principis suffragio assequitur. cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset; *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Longa post hæc senecta, & adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit: atque ibi defunctus fatale præsagium implevit. *Quibus ex verbis primo loco de Corbulone positis evincere vult, de Germaniâ etiam in sequentibus loqui Tacitum, quod Curtij insignia triumphi, Corbulonis insignibus continuo subjciat. At illud quam sublestæ fidei argumentum sit, quivis videat, qui totam orationis seriem perspexerit. Nam demonstrans Corbulonem, qui Germanis oppositus Gallias curarat, ornatum triumphi insignibus, eâdem occasione Tacitus ad res Africæ sermonem vertens eundem honorem adsecutum Rufum ostendit,*

stendit, adjecta simul ejusdem Rufi rerum & vitæ brevi historiola. in qua nihil de Germania; omnia ad Africam spectant. Cluverus nihilominus ex posterioribus è Tacito jam modo citatis verbis, satis clarè perspici posse putat Curtium Rufum jam ante consulare imperium & triumphi insignia consecutum, quàm Africam obtinuerit. quippe, *inquit*, sectator primum quæstoris, dein quæstor ipse, mox prætor cum fuisset, provinciam proconsule obtinuit, in qua argenti fodinas recluserit, triumphique inde reportavit insignia: hinc Africam postremò adeptus, in qua obijt. *Quorum verborum fucum videbit confestim, qui modò meminerit in verbis Taciti superius citatis, ubi vox audita dicitur*: Tu es Rufe, qui in hanc provinciam proconsule venies, *ibi, inquam, non simpliciter dici*, in provinciam proconsule venies, *sed*, in hanc provinciam, *nempe Africam. Adrumeti enim in Africa cum sectator quæstoris esset, præsagium factum, atque inde per omnes illos dignitatum honorumq; gradus circumlatus, postremò Africam obtinuit, atque ibi defunctus fatale præsagium implevit. Idq; ita esse patet præterea ex Plinio Secundo, qui eandem hanc Curtij historiam enarrans, quod Tacitus* consulare, *ipse* summum imperiũ *vocat, & cum eo, non in Gallias aut Germaniam,*

sed in Africam profectum addens. ita enim habet: Curtius Rufus tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat, inclinato die spatiebatur in porticu: offertur ei mulieris figura humana grandior pulchriorque: perterrito Africam se futurorum prænunciam dixit Iturum enim Romam honoresq; gesturum atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum ibique moriturum.

Lib. 7. Epist. 27.

Et deniq; argenti ejusmodi fodinas eo seculo Germanis fuisse, refutabit ipse Tacitus, qui in Germania sua dubitare se innuit, an ulla Germaniæ vena aurum argentumq; gignat, quia neminem scrutatum meminit. Sed ipsa verba ponemus: Argentum, *inquit*, & aurum propitij an irati dij negaverint, dubito. Nec tamen affirmarim, nullā Germaniæ venam argentum aurumque gignere. quis enim scrutatus est? *Si itaque, Taciti ipsius confessione, nemo adhuc eo ævo venas Germaniæ scrutatus fuerat, quomodo ergo hic, quasi oblitus sui, totas legiones agris Germaniæ Transrhenanis immissas dicat, ut, specubus reclusis, venæ argenti quærerentur? Hunc nodum & reliqua, quæ in adversum jam satis adduxisse existimo, quomodo solvat, Cluverus viderit. Nos ad reliqua veniamus.*

Coro-

Coronis superioris diatribæ.

Priusquam ad sequentia me confero, liberabo, si fortaße nec ista jam dicta suffecerint, omni astu Cluverum; & testem exceptione majorem illi dabo, agrum Mazyacum in Taciti verbis, ut jam monstravimus, non de Germania aut Mattiacorum, sed Africa, solo accipiendum. Nam ecce Ammianus Marcellinus ejusdem hujus agri disertè meminit sub fundi *nomine lib. 29. expeditionem & res Theodosii enarrans adversus Mazyces Africa populum. Et licet fundum nominet, ut ejus est loquendi genius, agrum tamẽ intelligere hinc liquet, quod & alibi* fundum *quendam* Petrensem *nominãs agrum intelligat, ubi inquit,* Plures agri populati sunt & incensi: inter quos clades eminuit fundi Petrensis, excisi radicitus. *Sed de* agro Mazyaco, *vel, ut appellare jam dixi,* Fundo Mazicano, *hac ejus verba sunt:* Exinde cum milites ducens incolumes Theodosius ad fundum venisset nomine Mazycanum, exustis desertoribus paucis alijsque ad sagittariorum exemplum, quibus manus ademptæ sunt, contruncatis, Tiparã mense Februario venit. *Mazycanus autem formatum ab illa Africa, ut innui, gente, quam* Mazyes *Stephanus; Ammianus & Ptolemeus* Mazyces *appellant; sive etiam à dynastis & principibus olim gentis, quibus Mazyca nomen* Lib.29.

 fuit.

fuit. Vnde utrumq; & Mazyacus *Taciti, &* Mazycanus *Ammiani recte deducitur. Pergimus itaque.*

Toxandros Schaldi, Menapios Rheno propiores fuisse. Ammiani Toxandriam non esse Zelandiam. Explicatur cum Cæsare Plinius & Ammianus.

CAP. II. 3. *QVod ait Cluverus trans Morinos Menapiosq;, quà nunc Zelandicæ sternuntur insulæ, populos olim incoluisse, quorum Cæsar meminerit his verbis:* T. Labienum cũ legionibus tribus ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci jubet. *Et paulo ante de eadem adhuc re agens:* Sed certè clam dimissis per agros nuntijs, sibi quemque consulere jussit (*Ambiorix Eburo*) quorum pars in Arduennam silvam, pars in continentis paludes profugi. Qui proximi oceano fuerunt, ij in insulis sese occultaverunt, quas æstus efficere consueverunt. *Sanè ijs ex Cæsaris verbis intelligi videntur insulæ, quæ modo ob æstum & maris recessum (salaciam Varro vocat) supra aquas exstarent; modò ob ejusdem æstus accessum (veniliam idem Varro dixit) infra undas contectæ laterent; cujusmodi loca à populis non incoli, sed ad breve tantum tempus effugia incolentibus præbere possunt. Quin & priori testimonio tantum abest, ut ullam Cæsar mentionem faciat gentium, quæ ijs in insulis essent, ut ne Menapiorum*

Lib. 6. de Bel. Gall.

rum quidem ditionem ipsam, sed partes tantum, quæ Menapios attingerent, à Labieno aditas innuat, cum versus Oceanum in eas partes, quæ Menapios attingunt proficisci *iussum dicat. Quod itaq; deinde subiungit Cluverus:* eadem regione, quâ nunc Zelandi sunt, olim incoluisse Toxādros, inde probatur, quod Cæsar ad Oceanum eos collocat. *Quos nam Cluvere ad Oceanum collocat Cæsar, Toxandrosne? At eos ne nominat quidem uspiam. Nec id nescire Cluverus potuit, qui iam ante scripserat,* nomen ipsis Cæsarem non tribuisse. Plinius interim, *sic porrò addit,* postquam dixisset, à Schaldi ad Sequanā esse Belgicam, subdit inde, à Schaldi incolunt extera Toxandri pluribus nominibus. *Quibus tamen Plinij verbis quid aliud efficiatur, non video, nisi Toxandros statim à Schaldi Oceanū et Menapios versus egisse, Menapios, inquā, qui Mosæ & Rheno propiores tūc agebāt. quos et ideo Strabo, non hac tantū parte, Rheni ostiū, sed utrūq; attingere atque accolere facit, cū inquit:* Menapii ex utroque ostiorum Lib. 4. Rheni latere paludes incolūt & silvas humiles densæq, materiæ & spinosæ. *Vt ita Menapijs magis quàm, quos nominat Plinius, Toxandris hæc Cæsaris verba competant: cum, ut dixi; Menapij ipsum illud occiduum Rheni ostium adusque Oceanum accoluerint, Toxandri autem, ut ex Plinio patuit, Schaldi propiores fuerint*

fuerint nec Oceani & insularum , nisi ex conjectura, incolæ. Ammianus, deinde Marcellinus Toxandriam quod indicet à Saliis Francis occupatam; eamq; ipsam Selandiam quod faciat idem Cluverus, quomodo convenit? Ammianus enim eos ripam fluminis obsedisse memorat , atque ibi à Severo, per Iulianum in eos submisso, perculsos & deditos. Hanc fluminis ripam si Mosam dicimus, quod à vero non esse alienum plures statuunt; vel, ut ipse Cluverus, Vahalim, quomodo hinc tamen, utcunq; acceperimus, Selandiam conficimus? in verbis autem Ammiani , ubi legitur, Ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula sibi figere prælicenter , *non ita à re abhorret, ut putat Cluverus , si ipsos Francos Salios (de illis enim Ammianus agit) dicamus ad interiora, ubi hodieq; non procul à Mosa* **Tessenderloo** / *versos, sedes sibi circumquaq; fixisse; ac, Cæsare mox Iuliano adventante, juxta fluminis ripam castra metatos ibique oppressos. Nam Zelandia, ut vult Cluverus, si eo Ammiani loco intellecta fuerit, quomodo Cæsar terrestri exercitu, & absque navali ullo apparatu, cujus ne levissima quidem apud Ammianũ mentio , ingredi eam potuerit? De continente ergo, ubi & nominis , ut supra patuit, Toxandrorum vestigium, quod in Zelandia nullum est , locutum omnino Ammianum certo certius sit. Nec etiam temerarium puto , quod mihi vir doctus injecit, Ammianum fortasse volentem*

lentem exprimere vernaculum gentis vocabulū Tessenderloum/ *sive*, Toxandrilocum; Toxandriam locum *minus appositè protulisse, quia sequitur continuo* habitacula. *Nam id nisi sit, nonne concinnius multo dixisset*, apud Toxandriam locum habitationis sibi figere prælicenter ausos?

Cæsaris verba, quibus ovis avium vivere nonnullos Rheni insulanos ait, nō ad Zelandiæ aut Rheni occidui, ut vult Cluverus, sed Rheni borealis insulas referenda.

AIT *de Rheno loquens Cæsar*: ubi Oceano appropinquat in plures deffluit partes, multis ingentibusq; insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur: ex quibus sunt, qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque capitibus in Oceanū influit. *Hic eos Cluverus notat, qui hæc verba non ad Zelandiam, huicque proximam Batavorum insulam, sed ad Hollandiam, quatenus Isala flumine terminatur, pertinere autumant, Cæsaris scilicet hæc verba*, ex quibus sunt qui piscibus atque ovis avium vivere existimātur, *ad eam insulam, quæ hodieque* Eierlandt *id est, ovorum insula dicitur, referentes. Hoc, inquam, confutat Cluverus eo, quod Drusus demum post Cæsaris ætatem ducta ex Rheno in Isalam fossa, eam inter cæteras insulā, quæ* Eierlandt *dicta, Rheno incluserit. Verum haud opus eâ exceptione.*

Ibidem. 4.

ceptione. Nam etiamsi Drusi fossa ævo Cæsaris nondum esset, tamen (nisi incomperta Cæsarem tradidisse dicamus, quo fere Cluverus inclinat) tamen, inquam, plures Rheni exitus, etiamsi minus celebres, ne ad Zelandiæ æstuaria abeamus, invenientur, si præter legitimum & extimum Cæsari Rhenum borealem, Plinio postea mediū, elices ex eodem plures sive amniculos exitusq́; vadosos simul fuisse statuamus. quod & soli tractusq́; istius ratio aliaq́; non leviter suadere videntur, ut Amstela & Ya nec non Vechta hodieque per Mudam & sinum Austrinum labens aliique per Frisios minores & Frisiabones lacus & rivi, qui nunc profundissimi, ut **Westvlie eñ Marsdiep** / *Marsatiorum gurges Iunio. Atque hinc fortasse est, quod dicat idem Cæsar,* Rhenus ubi Oceano appropinquat in PLVRES diffluit partes, *non ut Tacitus, in duos dividitur amnes; vel, ut Mela,* hinc atque illinc diffluit: *Ac post pauca continuo addat,* multisque capitibus in Oceanum influit. *Vnde sane perquam simile vero videtur, Cæsarem in ostiorum Rheni descriptione & elices & lacus aliaque ejusmodi spectasse. Quod & inde deducitur, quia ipso ævo adhuc Cæsaris Asinius apud Strabonem, certos & legitimos fortasse Rheni alveos & ostia spectans, duo tantum admittat, reprehendens eos qui plura, ut loquitur quem dixi, Strabo. Iam autem Cæsarem, ut ad Cluverum redeam, citato loco accipiendum non*

de Rheni

de Rheni alveo , quatenus Mosæ per Vahalim miscetur, sed de dextro præcipuè divergio, inde liquet, quia jam ante Mosam cum Vahale confluxum, in Oceanum occidentem, Zelandiam versus, deduxerat. Sed hoc si integrum locum adscripsero, manifestius erit. Ita enim Cæsar: Mosa profluit ex monte Vosego qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vahalis, insulam efficit Batavorum, neque longius ab eo millibus passuum LXXX. in Oceanum influit. Rhenus autem oritur ex Lepontijs, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Ætuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribociorum, Trevirorum citatus fertur, & ubi Oceano appropinquat in plures diffluit partes, multis ingentibusq; insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur: ex quibus sunt qui piscibus atque ovis avium vivere existimãtur, multisque capitibus in Oceanum influit. *Ubi notandum, præter quæ jam dixi, bis in Oceanum deduci Rhenum, primo à parte Vahalis cum Mosa; atque inde à parte alterâ seorsim* multis capitibus; *ibique & insulas illas et nationes ovis avium victitantes nominari: ut facile hinc pateat, ubi ovorum insulæ, quas in Zelandiæ æstuarijs, & circa Vahalis exitum, quærit Cluverus, vestigari debeant.*

Æstua-

Æstuaria in Taciti verbis Annal. 11. de Flevo, non Zelandiâ aut Toxandris, accipienda.

Ibidem. 5. A *D demonstrandum Zelandiæ æstuaria in verbis Cæsaris superius allatis intellecta, hæc insuper ex Tacito adducit Cluverus*: Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi, de morte Sanquinij alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gemnasco, qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, post transfuga levibus navigijs prædabundus Gallorum maximè oram vastabat, non ignarus dites & rebelles esse. At Corbulo provinciam ingressus magna cum cura & mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium ut quæque habiles, per æstuaria & fossas adigit, lintribusque depressis & exturbato Gemnasco. *Hic monet et cavet ne ad Drusi aut Flevi fossas aut lacus hæc quisquam referat*, cum aliud sint, *ita porrò ait*, æstuaria, aliud lacus: *quasi dicere vellet, Flevo lacus, non æstuaria competere. Quod tamen quàm nō verum, res ipsa loquitur. Quid? imo ipse Cluverus contra se sententiam dicit hoc ipso capite pag. 16. his verbis*: Flevum unde appellatum fuerit, satis clarè infra patebit; nempe ab ipsis lacubus & æstuarijs, in quæ

in quæ dispergitur. *Obtinuimus itaq; fatente vel ipso Cluvero, Flevo etiam æstuaria sua esse, ut pote in quæ dispergitur. Quod cùm sit, quis non censeat potius Rheni æstuaria, in quæ irrepsisse Chaucos levibus navigijs Tacitus refert, Flevum, non Zelandiæ æstuaria fuisse, Flevum dico, Chaucorum terris quàm proximum, & facili ex Visurgi Amisiaq; & illis vicinis oris descensu obvium? Ideoq; & Corbulonem intelligendum triremes alveo Rheni (nunc Isalam dicimus) in lacus & æstuaria se eo loci expandentis, naviumque ceteras huic rei aptas atque habiles per eadem æstuaria & fossas adegisse, hostiumque tandem lintribus eum in modum depressis, de imperij & Galliarum orâ ac limite, qui, ut mox patebit, hic statuendus, exturbâsse Gannascum? Hæc plana hoc pacto & perspicua existimo. At Cluverus longâ rerum verborumque ambage ad medium Rhenum, Galliarum, ut sibi fingit, terminum, eadem ablegat. Vbi tamen cum æstuaria non inveniat, Vahalim quoque & Mosam in partem trahit, ut ita ad Toxandrorum, quos, ut diximus, Zelandos nunc esse vult, æstuaria deveniat. Quæ tamen ipsa facilimè (ut nihil jam de medio Rheno dicam, inidoneo huic rei, nec Galliarum, ut mox liquebit, termino) facillimè, inquam, confutabuntur, si ipsa saltem Taciti verba intueamur, in quibus non plurium alveorum Rheni, sed unius tantum mentio, & cui æstuaria ista quàm proxima fuerint.*

Lib. 2. Annal.

Chaucos autem vicino, ut innui, & facili trajectu obvium Flevum habuisse, ostēdit ipse quoque Tacitus. Nam enarrans Germanici alteram in Cheruscos expeditionem, ait, cum jam adultâ æstate legiones ad Flevum & Rhenum essent reducendæ, alias terrâ remissas, plures classe impositas per flumen Amisiam Oceano invectas, sed exorta tempestate, disiectas naves raptasque nōnullas in aperta Oceani. De Cæsare tandem ipso addens, demonstrat eum triremi sua Chaucorum terram appulisse. Ita enim habet: Sola Germanici triremis Chaucorū terrā appulit, &c.

Bataviæ nomenclaturam non esse, ut vult Cluverus, recentem. defenditur Iunius & Zozimus.

CAP. III. 6.

HOc capite Cluverus eos recenset, aut perstringit potius, qui Batavorum agrum nostro hoc seculo describere aggressi sunt. Inter ceteros Cornelius Aurelius Goudanus infelix illi scriptor, eoque neminem ineptius, puerilius, delirantius res ac Chorographiam Batavorum tradidisse putat: Hadrianus Iunius medicus, non geographus, veluti sutor ultra crepidā hic sapere voluit. Solus Gerhardus Neomagus hunc ei laborē præhaurire (sunt Cluveri verba) prorsus omnem potuisset, si copiosius & pluribus argumentis rem demonstrasset. His & similibus longo syrmate præmissis, rem auspicatus arguit eos, interque ceteros, Iunium, qui Bataviam potius, quàm Batavorum agrū dicunt, cum ipsum Bataviæ vocabulum

lum

lum, quod posterioris seculi homines usurpandi consuetudine introduxerit, nusquã apud quemquam vetustissimorum usurpatũ reperiatur. Interim tamen si quis per analogiam, ut Pannoniã à Pannonijs, Daciam à Dacis, Rhetiam à Rhetis, sic Bataviam à Batavis usurpare velit, non repugnaturũ se fatetur, modò ne quis lectori rudi seu imprudenti pervicaciter imponat, RECENS *vocabulum pro antiquo venditando. At hic paucis interserere liceat illudq; unum quærere, an ergo quod Zozimus tradit, quod Dio, inter recentia habendum? Quorum Dio plusquam integro ante Zozimum seculo ad Alexandrum usq; Mammeæ filium, sub quo & militum in Pannonia præfectus claruit, Augustæam historiam magnâ curâ magnâque inter Græcos præcipuè, & fidei & prudẽtiæ laude deduxit: huncine, inquam, qui re Romana & imperio adhuc florente vixit, scripsitque à* Batua insula Batavos *nominatos, ævi posterioris, aut recentia prodidisse dicemus? Zozimus verò non* Batuam, *ut Dio, sed Bataviæ nomen disertè perscripsit: Quod licet Cluverum non fugiat, ita tamen interpretatur, quasi* Zozimus illo seculo *fuerit (sunt iterum Cluveri verba)* quo jam multa imo pleraq; nomina regionum ac populorum pravè immutata fuerunt. *pravè inquit immutata; ut denuò jam quærendum sit nobis, an ergo & Bataviæ vocabulum ab eodem prave immutatum fictumque haud analogus existimet? Si, quod verba jã*

 posita

posita innuere videntur, affirmet atque aiat, reponemus quod jam ipsius quoque verbis supra retulimus, haud negare Cluverum rectè à Batavis Bataviam formari, imò analogicè id fieri, & eum in modum, quemadmodum à Pannonijs Pannonia, à Dacis Dacia &c. Horum meminisse, aut illa non scriptum oportuit.

Eodem deinde capite haud leviter sugillat, quod ex Annalibus suis Iunius, à Batone Cattorum principe Bataviæ etymon venetur. At novisse Cluverus debuerat non tam ex annalibus, quàm à Gerhardo Noviomago, (quem unicum Batavorum scriptorem Cluvero æstimari supra ostendimus) illud de Batone haustum Iunio: Nam idem Noviomagus, dum nescio quos Gelriæ aut Cliviæ ducum annales crepat, quisquilias, ut ego existimo, non annales aut historias, multis & magnis etiam viris errãdi ansam præbuit. Quod cum ita habeat, cur non Gerhardus Noviomagus, dux & author erroris, sed solus vapulat Iunius? An quod dici vulgo solet hîc quoque locum habet, duo cum faciunt idem non esse idẽ, *præsertim ubi ira aut studium præoccupant?*

Batavorum à Batava insula etymon repetendum non à Batone, ut volunt: Additumquę de Velavia & Richenavia Rheni item insulis. Explicata atque emaculata Dionis verba.

Ibidem. 7. O*Ccasione Batonis, cujus supra meminimus, hoc*

hoc adjiciam. Gerhardus Noviomagus Batonem, Hessum & ejusmodi fictitia nomina reges & principes Batavicique nominis conditores statuit. Eumque errorem non tantum, ut diximus, Had. Iunius erraſſe pro parte videtur, ſed Iuniū quoque ſecuti alij, intuliſſe in Bataviam Batavicum nomen Cattos tradidère. Iunius quin etiam ejuſmodi Bataviæ etymon confinxit, ut ita nimirum dicta fuerit, quaſi Batens have / *id eſt, quaſi Batonis exſtitiſſet peculium, cum utrumque à Dione confutetur, qui diſertè ait*, à Batava, Rheni inſula, Batavos *appellatos. Quod ſi verum eſt, ut eſſe veriſſimum judico, ipſi ſanè Batavorum aborigenes Catti non intuliſſe in Batavos, ſed adſumpſiſſe hoc nominis ex ipſo Bataviæ ſolo dicendi. Atque ita Iunij ſimul etymon penitus concidat, veriuſque multo Bataviam ab ipſa re, idq; vernaculo gentis idiomate, nec hodie adhuc planè deſito, à* Bat *ſive* Bet *&* ouwe/ *quod* bona & opima latifunda *notat, appellationis* Betouw *occaſionem accepiſſe; contentione obiter factà ex ſimili vocabulo* Veloúw/ *quam Velaviam latinè dicimus, terram ab agro Batavo Rheni ſolius alveo diſtinctam. Cujuſmodi præterea nominis eſt exigua illa, vel, ut Tacitus loquitur, modica in eodem Rheno inſula, ſed longè ſupra Velaviam ac Bataviam poſita, infra nimirum Conſtantiam*, Richenavia, *vulgo* Richenauw *dicta, quod* dite latifundium *notet. Nam ut habet Etymologicon Belgicum*



non tantũ ouwe/*de quo dixi, sed &* auwe *pro varietate dialecti*, pratum, paſcuũ & inſulã *olim ſignificavit. Hodie* Richenaviam *quamobrem* divitẽ Augiam *vertant Latineq́ appellent, ratio me latet. Sanè haud felicius id facere puto, quam ſi nos* Bataviã *noſtram* meliorem Augiam *dicamus. Quod tamen abſit. & vetat non tantum ipſa, cujus jam memini, nomenclaturæ illarum inſularum vernacula notatio, ſed & ſitus quoq́ & locus Richenaviæ præſertim, de quâ injeci, amœniſsimus profecto (quod oculati teſtamur) & Muſis quaſi debitus. Hac tempeſtate Benedictinis monachis & pauculis aliquot colonis pro modo complexus ſui habitatur, florens interea & frugũ optimarum ferax, ne quis ob ſiniſtram illam, ut iterum hoc dicã, et inconcinnam, licet receptã hucuſq́ nomenclationem, Augiæ ſtabulum aut imaginetur aut animo concipiat.*

Verum Dionis verbis, quibus à Batua Batavos nominatos *innuit, adverſari Tacitus videtur 4to hiſtoriarũ, ubi* Batavos, donec trãs Rhenũ agerent, partem Cattorum fuiſſe ait. *Quod tamen primo intuitu ita videatur, at nequaquam ſi de gentis, non nominis Batavici auſpicio, eo loci Tacitum, uti oportet, interpretemur. Dionis autem verba integra apponã, ut mendum, quod inhæret & notationem hanc gentis ipſiuſq́ Dionis mentem veluti obfuſcat, eâdem hac occaſione eluam; ita enim habet, legionum Romanarũ*
Lib. 55. *numerum & nomina exſequens lib. 55.* Corporis au-

ris autem custodes sunt decem millia; in decem divisi partes, & urbis præsidiũ sex millia; quadrifariam hi divisi: tum equites alienigenæ extraordinarij, qui Batavorum à Batua, quæ in Rheno est insula, quod equitandi arte pollent, nomen habent, &c. *Quorum posteriora hæc verba,* quod equitandi arte pollent, *manifesti sunt vitij, conformata tamen ex illis Græcis*, ὅτι δὴ κράτιστοι ἱππεύειν, *quemadmodum præferunt passim exemplaria typis excusa, & illa insuper emendatissima Henrici Stephani postrema editio. Tamen si, unicâ literulâ sublatâ, juvemus legamusque* οἱ δὴ *pro* ὅτι δὴ *optimus sensus, parenthesi quasi inclusus, exsurget hunc in modum:* Qui Batavorum à Batua, quæ in Rheno est insula (hi autẽ equitandi arte pollent) nomen habent. *Et in mente habuisse Dionẽ, aut certe aspexisse de ijsdem Batavis verba Plutarchi vix ambigendum existimo, illa nimirum*: In gladiatores, qui peritia & animo ad aggrediendũ habebãtur insignes, invexit Varus Alphenus Batavos. Hi equitum Germanorum sunt præstantissimi, insulam incolentes Rhenocircumfluam. *Quæ cum ita sint, jure laborat & æstuat Cluverus, Dionem ad formam & modum, ut habent libri vulgati, explicaturus Commentarij sui 17. Cap. his verbis:* Hæc sane verba Dio citra omnem curam diligentiamque protulisse videtur.

Plutarch. in Othon.

Quid enim hoc est dicere? Batavi ab insula Batua dicti sunt, quia equitandi arte pollent. insulam à gente, non gentem ab insula nomen traxisse quis dubitet? An vero hoc voluit Dio: gentem hanc, quæ Rheni insulam colit, ab equitandi arte nomen accipisse Batavorum? Divinatio sane est, forte fallax. *Hæc Cluverus; suspectam scilicet ipse habens divinationem suam & fallacem dictitans. Et meritò. quid enim est dicere,* gentem, quæ Rheni insulam colit, ab equitandi arte nomen accepisse Batavorum? *Quapropter certa esto, quam dedimus jã modo, adminiculante Plutarcho, Dionis emendatio. Nec impedit quod interea ad refellendum Dionem injicere quasi Cluverus videtur, à gente insulam, non ab insula gentem appellandam edicens. Nam licet verum sit, a gente & populis multas regiones nomen sumsisse, perpetuum tamẽ id neutiquam est; Et refutant apud Cæsarem Morini Aremoricique, & hodie Hollandi ipsi, Zelãdique atque alij à solo & agro, quem incolunt, appellati.*

Difficultates de longitudine insulæ Bataviсæ ex authorum dissensionibus indicatæ. Cæsaris & Plinii conciliatio tentata.

CAP. IV. 8. *QVarto capite situs itemque longitudo & latitudo insulæ indicatur. In quo haud exiguum laboris nequidquam insumsisse inquit viros doctos, qui eâ de re ante se commentati sunt. Quæ tamen*

tamen adferuntur nihil aut semotum aut arduum habent. Præcipuè & iterum Cornelius Aurelius notatur, qui inter Bataviam *&* Betuam *distinxisse visus initium insulæ circa Mosæ Vahalisq; confluentes accipiendum voluit. Qui error cum putidus sit, & aliis quoque jam sæpe notatus explosusq;, non video cur in illius communionem aut viri docti, ad quos ille non pertinet, trahi, aut error tralatitius operosè adeò repeti aut refelli debuerit. saltem demonstratum oportuit, quinam, præter Aurelium, eidem affines fuerint. Nam de Glareano, quod adducitur, insulam Marsatiorum, allusione nominis decepto, in oppido Cliviæ collocante, quod vulgò Moers dicitur, Rhenumq; ibi quondam divisum pro certo asseverante, levius est, ut pote hominis Helvetii, & nostra ignorantis, sphalma, quam ut in eo arguendo abutendum otio fuisset. Hoc tantum voluissem Cluverus addidisset aut enodasset potius, cum Cæsarem & Plinium in longitudine insulæ Batavorum finiendâ (Cæsar enim LXXX. pass. millia, Plinius prope C. M. habet) parum aut nihil differre velit, quomodo tamen accipiendus Strabo esset; cujus hæc verba sunt:* Vterque & Sequana & Rhenus à meridie versus septentrionem fluit, & est eorum ostiis objecta Britannia, Rheno vicinior, ita ut Cantium, quod est orientale insulæ promontorium, apud ostia ejus cerni possit. Strab. lib. 4.
Nam primo viciniorem Rheno, quam Sequanæ,

facit Britanniam, aliud exhibentibus fere hodie Ptolemæi aliisq; pinacibus Chorographicis; Deinde cerni vult apud Rheni ostia Cantij promontorium, quod inter ipsaq; ostia suo seculo 900. stadia contineri putavit Zozimus. At hodie, cum interstitium inter Britanniam & Rhenum circa Brielam in Oceanum se exonerantem ultra viginti milliaria Germanica sit, quis, nisi Lynceus, oculorum obtutu id, quod iniicit Strabo, nunc possit? atq; ita si certa tradidisse eum velimus, quã multa passuum millia, cum unum miliare quaterna millia pass. contineat, utriusq;, & Cæsaris & Plinij, calculo, aut deesse; aut aliam fuisse olim Batavici littoris faciem, lõgeq; quàm hodie versus occidẽtem porrectiorem, concedere habemus: Et sane quod tradit Iunius hac occasione silentio involvere non possum, Nordvico maritimo integram domorum viciniam sua ætate Oceanum mare attrivisse: Et Scevelingiæ templum, quod ad bis ferme mille passus, ultra paucos supra centum annos, ubi jam mare est, stetit, fluctibus absorptum nuspiam comparere: Et illud ipsum, quod exinde magnificentius ibidem exædificatum tẽplum quàm remotissimè à mari, satis cum periculo ad littoris viciniam paulatim jam accedere: similemq; injuriam Kal. Novemb. anno 1570. sensisse lõge gravissimam, complanatis & in fœdam ruinam tractis ædificijs fere sexaginta: ita ut interdum inter piscatores, pagi incolas, agitetur de loco remotiori templi fabricæ diligendo.

Bat. cap. 10.

Cum itaque hæc ſit littoris & ſoli circa etiam Rheni oſtia indoles & lubrica ratio, ferè inclinem Cæſarem illis verbis; Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vahalis, inſulam efficit Batavorum. neque longius ab eo millibus paſſuum LXXX. in Oceanum influit: *non longitudinem univerſæ inſulæ (quam integram nihilominus & rectè Cæſari intellectam acceptamque contra Aurelium Cluvero aliiſq; aſſentior) ſed ſpatium præcipuè inter Moſam, quâ Vahalim influit, & quâ Oceanum ingrediebatur, ſignare voluiſſe. Nam aliàs Plinius, integro propemodum ſeculo Cæſare poſterior, quomodo majorem longitudinem, id eſt, paſſus prope C. M. ut verba ejus habent, attribuiſſet, qui minorem potius debuiſſet, ſi ſolum, de quo dixi, fluxum, & quod ab Oceano, vicino & quaſi hoſte infeſtiſſimo, perpetuò adeditur, ſpectare libeat? Sed in re longi ævi, & ſcriptorum diſſenſu dubiâ, nihil hîc ponere, ſed animi tantum mei ſenſum aut vacillationē verius proponere placuit*

Lib. 4. Belli Gall.

Confluens Moſæ & Rheni, ex Cæſaris Commentario adverſus Cluveri correctionem demonſtratus defenſuſque.

P*Oſt hæc ad lævum inſulæ latus deſcribendum progreſſus, illud, ſe excepto, omnes ignoraſſe ait. Vult enim, præter cætera, Moſæ flumen ab Mago oppido* CAP. V. 9.

facit Britanniam, aliud exhibentibus fere hodie Ptolemæi aliisque pinacibus Chorographicis; Deinde cerni vult apud Rheni ostia Cantij promontorium, quod inter ipsaque ostia suo seculo 900. stadia contineri putavit Zozimus. At hodie, cum interstitium inter Britanniam & Rhenum circa Brielam in Oceanum se exonerantem ultra viginti milliaria Germanica sit, quis, nisi Lynceus, oculorum obtutu id, quod injicit Strabo, nunc possit? atque ita si certa tradidisse eum velimus, quam multa passuum millia, cum unum miliare quaterna millia pass. contineat, utriusque, & Cæsaris & Plinij, calculo, aut deesse; aut aliam fuisse olim Batavici littoris faciem, longeque quàm hodie versus occidentem porrectiorem, concedere habemus: Et sane quod tradit Iunius hac occasione silentio involvere non possum, Nordvico maritimo Bat. cap. 10.
integram domorum viciniam sua ætate Oceanum mare attrivisse: Et Scevelingiæ templum, quod ad bis ferme mille passus, ultra paucos supra centum annos, ubi jam mare est, stetit, fluctibus absorptum nuspiam comparere: Et illud ipsum, quod exinde magnificentius ibidem exædificatum templum quàm remotissimè à mari, satis cum periculo ad littoris viciniam paulatim jam accedere: similemque injuriam Kal. Novemb. anno 1570. sensisse longe gravissimam, complanatis & in fœdam ruinam tractis ædificijs fere sexaginta: ita ut interdum inter piscatores, pagi incolas, agitetur de loco remotiori templi fabricæ diligendo.

Cum

Cum itaque hæc ſit littoris & ſoli circa etiam Rheni oſtia indoles & lubrica ratio, ferè inclinem Cæſarem illis verbis; Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vahalis, inſulam efficit Batavorum. neque longius ab eo millibus paſſuum LXXX. in Oceanum influit: *non longitudinem univerſæ inſulæ (quam integram nihilominus & rectè Cæſari intellectam acceptamque contra Aurelium Cluvero aliiſq; aſſentior) ſed ſpatium præcipuè inter Moſam, quâ Vahalim influit, & quâ Oceanum ingrediebatur, ſignare voluiſſe. Nam aliàs Plinius, integro propemodum ſeculo Cæſare poſterior, quomodo majorem longitudinem, id eſt, paſſus prope C. M. ut verba ejus habent, attribuiſſet, qui minorem potius debuiſſet, ſi ſolum, de quo dixi, fluxum, & quod ab Oceano, vicino & quaſi hoſte infeſtiſſimo, perpetuò adeditur, ſpectare libeat? Sed in re longi ævi, & ſcriptorum diſſenſu dubiâ, nihil hîc ponere, ſed animi tantum mei ſenſum aut vacillationẽ verius proponere placuit* Lib. 4. Belli Gall.

Confluens Moſæ & Rheni, ex Cæſaris Commentario adverſus Cluveri correctionem demonſtratus defenſuſque.

P*Oſt hæc ad lævum inſulæ latus deſcribendum progreſſus, illud, ſe excepto, omnes ignoraſſe ait. Vult enim, præter cætera, Moſæ flumen ab Mago oppido* CAP. V. 9.

go oppido, uno certoq́ alveo, nullis in Vahalim ad S Andreæ munimentum aquis transmissis, devectum, eas terras antiquitus dextra ripa perfudisse, quæ nunc Hosdemũ oppidum sustinent; ac tandem confluxisse Vahalim & Mosam ad Geroſletum. Cumque videat hoc se admittatur,
Lib. 4. Bell. Gall. *immensum proponi spatium quod Tenchteri, Vsipetesque Germani à Iulio Cæsare in finibus Eburonum fusi, fugiendo emensi fuerint, dum eos ad Mosæ Rhenique confluentem pervenisse memorat. Vt ergo evitet incõmodum, ait Cæsaris tempestate, ubi nunc est Vahalis & Mosæ concursus, confluentem non fuisse, posteriori autem seculo fossas factas, ideoque in verbis Cæsaris, non Mosam, sed Mosellam intelligendum. Quam sententiam cum identidem sæpiusque inculcet videatque demõstratione egere, nihil adfert, nisi obter, & per parenthesin illud:* posteriori seculo hic fossas factas ratio infra convincet. *Rationẽ autem eam avidè cum exspectarem, eoque jam totus animo properarem, inveni non rationem, sed conjecturam aut suspicionem potius, quâ Cæsaris verba, quæ in omnibus codicibus cusis & scriptis, tot seculis hucusque inviolata ac sarta tectaque manserunt, sollicitet. iisque ad suum placitum rescriptis ac mutatis, quicunque hîc Cæsarem, prout hactenus lectus fuit, secuti fuerunt,* imperitum geographorum vulgus appellat. *Sed ipsa Cæsaris verba adducenda censeo, quæ exstant 4. de bello Gallico:* Germani

post

Germani post tergum clamore audito, cum suos interfici viderent, armis abjectis, signisque militaribus relictis, se ex castris ejecerunt & cum ad CONFLVENTEM MOSÆ & RHENI pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto reliqui se in flumen præcipitarunt, &c. *Hic si demonstrem, omnino lectionem eam certam ac genuinam esse, nec ullo modo in controversiam trahi debere, obtinuisse me, æquis arbitris, existimabo totum illud, quod de fossa hîc facta, deq́ Mosella & Gereflito, in contrarium adducit Cluverus, imaginosum habendum. Ait ergo in verbis Cæsaris jam recitatis rescribendũ,* ad confluentem Mosellæ & Rheni; *omniumq́ errorem in eo deprehendi, quod eam de dictis Germanis historiam nunquam satis aut legerint aut perceperint. Age ergo ipsam illam Cluveri lectionem totamq́ rem intueamur nunc propius. Vult ergo non Mosæ, sed Mosellæ confluentem intellectum Cæsari. At hoc si detur, sequetur Vsipetes Tenchterosque Mosellæ, quàm Mosæ propiores fuisse. verum pugnat id cum verbis Cæsaris, qui ait, pulsis cis & transrhenanis Menapijs, transisse Vsipetes Rhenum non longè à mari, quo Rhenus influit, id est, uti ex Cæsaris Rheni & Mosæ fluentorum eodem loci descriptione liquet, ubi se Rhenus dividit, moxq́ Mosæ miscetur. Vt simul haud obscure colligere sit, ibidem quoque, aut certe in proximo, sedes ab ijsdem castraque*

ſtraq́ poſita. Nam ita ſtatim Cæſar: His (*Menapijs tranſrhenanis*) interfectis navibuſque eorum occupatis, priuſquam ea pars Menapiorum, quæ citra flumen erat, certior fieret, flumen tranſierunt (*Tenchteri & Vſipetes*) atq; omnibus Menapiorum ædificijs occupatis, reliquam partem hiemis ſe eorum copijs aluerunt. His de rebus Cæſar certior factus, &c. *Et præter hæc pugnat etiam cum eo, quod Cæſar poſtquam exercitum ex hibernis Lexobiorum & Aulercorum eduxiſſet, continuo Germanos monuerit, ut à Rheno diſcederent, ſed eoſdem tamen ad Eburonum uſq́ fines latius evagatos. Vnde ſtatim iter in ea loca facere cæpit, quibus in locis Germanos eſſe audiebat: à quibus cũ paucorum dierum iter abeſſet legati ad eum Germanorũ venerunt: ut cõſtet ex illo Cæſaris à Gallis finitimis ad Eburones & Rhenum cum exercitu deſcenſu Germanos (licet excurſiones ſubinde facerent) circa prima ſua loca ac caſtra præcipuè conſtitiſſe. Nam & additur ibidẽ, utcunq́ paucorum dierum itinere ab eis abeſſet Cæſar, exinde nihilominus priuſquã ad ipſa Germanorum caſtra perveniret, IIX. adhuc millium iter ab eo confectum. Ita enim ſequitur:* acie triplici inſtituta & celeriter IIX. milliũ itinere confecto prius ad hoſtium caſtra pervenit, quàm quid ageretur, Germani ſentire poſſint.

Quibus accedit, ut conſtet Moſæ *et* Rheno,

non

non Mosellæ,*propinquos fuisse, quod & equitum Germanorum pars, priusquam cum ijs congrederentur Romani, trans Mosam, ad Ambavaritos frumentandi causa, missa fuerit: ut ita simul, cum eos inopinantes invaderet Cæsar, inque fugam acti essent, haud dubiè, unde venerant, reverti satagentes, aliquid etiam juxta Rheni & Mosæ confluentem ab eodem equitatu in omnem eventum solatij sibi speraverint, quamvis eadem equitatus manus, ut idem deinde refert Cæsar, clade & fugâ suorum perceptâ, confestim trans Rhenum se cum Sicambris conjunxerit. Quo & iterum arguitur, cum Sicambri tum è regione Vbiorum, Rhenum inferiorem versus, territoria sua habuerint, omnia hæc infra adhuc Vbios acta, ut nihil sit alienius, ne dicam, confidentius, quam Mosellam, invitis hic non tantum, ut dixi, libris omnibus, sed tota quoque narrationis serie, velle ingerere.*

Denique absterrere Cluverum ab hoc correctionis facinore vel illud debebat, quod ipse Cæsar hanc cum Germanis prælij narrationem ingressus, continuo Mosæ atque inde Rheni fluentis decursum, simulque utriusque fluminis concursum interserat, atque ob oculos ponat, ut ita & locorum Chorographia, & quem exinde paucis interjectis, MOSÆ & RHENI CONFLVENTEM *intelligi vellet, omnibus in propatulo constaret. Sunt autem Bell. Gall. lib. 4 ista:*

Mosa

Lib.4. Bell. Gall. Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingorum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vahalis, insulam efficit Batavorum, neque longius ab eo millibus passuum LXXX. in Oceanum influit. Rhenus autem &c *Quibus ita à Cæsare præmissis, quis non videt nequaquam de alio, quam eorundem fluminum cõfluente loqui eum, ubi statim in eadem narratione sequitur:* Germani se ex castris ejecerũt & cum ad confluentem Mosæ & Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen præcipitarunt.

Atque hisce abactam Cluveri Mosellam ejusque fossas satis confossas existimo: ut omittã addere ita si esset, hoc est, si Rhenus, Vahalim dicimus, eo loci in Mosam posteriori ævo fossione deductus esset, mirum videri nullis rerum annalibus, aut ullis veluti per manus traditis memorijs, tam præclarum facinus posteritati usquequaquam vel tenui aliquo judicio commendatum exstare.

Bifidam apud Tacitum Rheni divisionem non esse de Vahali & medio Rheno, sed Vahali & extimo alveo boreali, accipiendam.

CAP. VI. 10. C*Apite, quod sequitur, sexto, cum Had. Iunio haud levem sibi suscipiendam controversiã statim*

ſtatim initio Cluverus profitetur. At propius intuenti non cum Iunio, ſed Tacito, controverti deprehenditur. Tacitus enim navigationem Germanici, qua per Rhenum & lacus ad Amiſiam claſſe mille navium; atque inde terreſtri itinere ad occiduos Germanos pergebat, deſcripturus, locum prius, ubi claſſis ſolutura convenit, ita proponit: Rhenus uno alveo continuus, aut modicas inſulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur: ſervatque nomen & violentiā curſus, quà Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur. *Hunc alveum eum eſſe, qui à Scenckij munimento Arnhemū verſus, & Vageningam, Rhenam, Duroſtatum, Trajectum, Voordam Leydamq́; devehitur, quemque Plinius medio inter duo extimo ore modicum nomini cuſtodire alveum ait, neminem ſanæ mentis dubitaturum Cluverus putat. At dubitationem manifeſtam ingerunt Taciti cum Plinio collata verba. Tacitus enim de alveo loquitur, qua aquis late inundans curſus ſui violentiam à parte Germaniæ ſervet; at Plinius modicum nomini ſuo alveum cuſtodire illum medij oris dicit: Qui inſuper non Germaniam, de qua loquitur Tacitus, ſed inſulas Rheni, intra adhuc Galliarum complexum cōſtitutas, prævehitur. Deinde nec medio hoc Pliniano, ſed oſtio extimo boreali egreſſam claſſem, foſſa, de qua ſtatim ibidem ſubijcit Tacitus, Druſiana diſerte, præter cetera, lo-*

C quitur.

quitur. Quin & frustra sanè duum horum amnium seu divergiorum meminerit Tacitus, si neutro classis exiisse demonstretur. At jam extimo, ut dixi, non medio illo exiisse, cum nec ipse adversarius diffiteri queat; ideoq́ nec ejus, sed extimi hujus mentionem eo Taciti loco factam extra aleam ponimus.

Quod autem objectioni occurrat Cluverus, tenuemq́ hunc Plinii alveum ad Civilem referat, talem scilicet factum dicens postquam ille Drusi molem diruisset, gelu omni Gallico frigidius est. Nam Plinium Tacitumque, scriptores propemodum synchronos, de re sui, non ævi Civilis agere clamant exserte verba eorum, spargit *itemq́* servat.

De Rheni abactione ac Drusi mole, ejusque loco, aliaque disceptata. Tacitus & Plinius explicati.

Ibidem. 11. *VErum Cluverus, quia præcipuum opinionis suæ præsidium in illa mole à Civili disiecta collocare videtur, age & illud, non dico, quam firmum, sed quàm debile, imo quàm nullum sit, penitius introspiciamus. Ait Tacitus hist. 5.* Quin & diruit molem à Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disiectis quæ morabantur, effudit. *Quid inde consecutum, addit statim:* Sic veluti abacto amne tenuis alveus

alveus insulam inter Germanosque continentium terrarum speciē fecerat. *Quibus continuè subinfert Cluverus :* Huc igitur jam spectat illud Plinij: medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alveum, *propter nimirum, si dis placet, à Civili eum in modum abactum amnem. Quod, ut obtineat Tacitum interpretatur , quasi in mediam insulam Batavorum novo alveo Rhenum Civilis effudisset : eumq́; alveum esse Leccam vult vulgo accolis* De Lecce *nominatum. ut nimirum prope Durostatum in lævâ Rheni ripâ illa à Druso excitata moles fuerit. Verum revocare Cluverum ab ejusmodi commento debuisset ille, quem se quasi possidere atq́; intelligere solum non semel jactat, Cornelius Tacitus. Nam ille sanè, nunquā tacendus historiographus, nō dicit* novo alveo *Rhenum in Galliam ruentem effudisse Civilem, sed* prono ; *nec in* mediam insulam *aut* Bataviam, *sed in* Galliam *effusum esse. ut nihil sit certius quam quod* Gallicam ripam *&* Rhenum in Galliam ruentem *de Vahali intelligendum voluerit. Qui & iterum de eodem Vahali alibi loquens haud aliter ait ;* Rhenus ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens , verso cognomento , Vahalim accolæ dicunt. *Et iterum eundem tractum 2. Annal.* extrema Gallicæ oræ nominat. *Quod cum sit , quid à re tota alienius, quam locum hujus aggeris seu*

 molis

molis infra Vahalim prope Durostatum consti- tuere, infra, inquam, Vahalim, id est, tam procul extra ripam continentis Galliæ jam indicatam Tacito. Quin & illud in Taciti verbis hist. 5. supra positis, perspicuè satis indicat tenuem *hunc* alveum *non de medio Pliniano, sed illo & extimo præcipuè, qui continentem Germaniæ alluebat accipiendum, quod dicat eo modo abactũ à Civili amnem, inter insulam & Germaniam, proximè præsertim è regione scilicet Lobeci objectam, præbuisse speciem continentium terrarũ. At medius ille Plinij, quem intelligendum Cluverus cupit, fuisset licet tenuissimus, quomodo tamen continentis speciem aspectu Germaniæ ostendere potuit; si illas præsertim à parte Boreali intermedias Rheni insulas cogitemus, Plinio enumeratas? Quibus accedit* abactionis *vocem in verbis Taciti vel solam retrahere Cluverum ac monere saniora potuisse, hoc est, nihil eam ad Leccam & tantum alveum constituendum pertinere. Alveos enim novos facere non abactionis, sed fossionis præcipue res est. & docent inter cetera illa Romanorum opera, Drusi & fossa Corbulonis, de qua mox etiam.*

Lib. 4. cap 15. Natural. hist.

Occasio excitatæ à Druso in Rhenum molis, absolutæque exinde à Paulino Pompeio, ac dirutæ denique per Civilem, & excitaæ ab eodem ex adverso novæ. Abactio fluminis quid.

Porrò

Porrò verba Taciti de diruta Drusi in Rhenum mole, deq; amnis à Civili facta abactione, (quod præcipuum antiquitus Batavorum artificium fuit) ut accuratius & propius accipiantur, sciendum molem Drusi alibi Tacito aggerem coercendo Rheno nominari; & finem, in quem potissimum à Druso tum excitatus fuerit, his verbis breviter ab eodem commemorari: ne tamen segnem militem attineret, Paulinus Pōpejus inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coercendo Rheno absolvit: *coercendo nimirum Rheno; ne in Gallias pronus & uno impetu per Vahalim prolaberetur. At diruto postmodum (quemadmodum 5. hist. dein refertur) per Claudium Civilem Batavum hoc impedimento, & excitatâ vicissim ex adverso propemodum à parte continētis Germaniæ novâ & aliâ mole,* adeò tenuis *(sunt ejusdem Taciti eo loci verba)* alveus inter Germanos & Batavos fuit, ut continentium terrarum speciem exhiberet. *Qui* tenuis, *illis in verbis,* alveus *non de novo tantum Isala, quod facit Haemrodius, sed de Rheno in universum capiendus, qui infra statim Vahalim, cum fossilem Rhenum, tum Avenacum versus, fluebat. Vnde & hoc colligendum molem istam Drusi nequaquam constitutam ut jam modò ostendimus, infra Vahalim, aut circa fossam Drusi seu ut nunc appellamus, novum Isalā (quomodo tamen accipi plerisq; & Iunio quoq; video)*

Ibid. 12.

5. hist.

 sed à

ſed à parte continentis Galliæ, paululum ſupra Vahalim ſeu principium agri Batavi, ubi in duos ſcilicet amnes Rhenus dividitur: Notandumque ejuſmodi obliquos obÿces ſeu, ut Tacitus appellat, aggeres ac moles (hodie **kribben** *dicuntur) ad Rheni excurſum vel coercendum vel alio divertendum, exſtruendi morem, non noſtro tantum ſeculo, ſed olim quoque magno fuiſſe uſui, veterũque præſertim Batavorũ artem exſtitiſſe. Quod & Tacitus jam olim animadvertit, qui de Civili iterum lib. hiſt. 5. deq; mole illa, quam dixi ex adverſo fere Druſianæ ab ipſo conſtitutã, loquens ita ait;* Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis adjacentibus ſuperfunderetur. *Nam eam molem à parte Germaniæ, ut innui, continentis & paulo ante, quam illam Druſi dirueret, excitaviſſe eum, ex eodem Tacito liquere poteſt, ubi refert ex ea Bructerorum cuneos Civili auxiliares tranſnataviſſe.*

Cur autem Druſus & inde Paulinus Pompejus hunc Rheno coercendo aggerem, tanto cum ſtudio perfecerint, cauſa fuiſſe videtur, ut miles Romanus, qui aſſidue per Batavorum inſulam ad gentes ulteriores commeabat, tenuiori ac faciliori ad tranſmittendum hoc pacto Vahalis alveo uteretur: & foſſilis è contrario Druſi Rhenus aquis tumentior ÿſdemque Romanis naviabilior tum & latior exiſtens ampliori ſpatio ab illis Germanos diſpeſceret. At poſtmodum Civilis,

cum

cum jam serio adversus Romanos arma sumsisset, animadvertens id incommodi, disjectis quæ morabantur, prono in Gallias alveo per Vabalim ruentem Rhenum effudit, Vabalisque flumen, Galliæ continentem inter & insulam Batavorum, undantius reddidit; cum è regione, circa Germanicum puta seu dextrum Rheni latus, ob additam insuper novam illam à Civili molem, steriles aquæ & tenuis alveus, qui eidem Civili Batavorum tunc defensionem molienti & assidue è Germania novas copias aut supplementa adducenti oportunior fuit, deflueret.

Coronis superiorum.

C*Vm itaque Tacitus, ut patuit diatribâ decimâ,* servare violentiam cursus à parte Germaniæ Rhenum dicat, *& tamen 5. hist.* alveum, inter insulam & Germanos, fuisse *post dirutam molem Drusi* tenuem *referat, manifestum est, priori illo non quid bello urgente, vel disjectis vel excitatis ejusmodi in Rhenũ molibus, amneque illis veluti objicibus abacto, factum spectare eum, sed nativum & rectum ab ea parte amnis defluxum, & cujusmodi, impedimentis omnibus sublatis, tunc visebatur, ob oculos positum velle. Vnde & illud simul liquet, nec Plinium quoque, cum medium Rhenum custodire modicum alveum tradat, nequaquam illam, ut vult Cluverus, Civilis abactionem, subitam et momentaneam, sed statum amnis cursum, & cujusmodi sua tempestate fluebat, respicere.*

Observare postremò Cluverus debuisset non tantum Drusiani aggeris demolitionem, sed illā quoq́, quam paulo supra eandem Drusi a parte Germaniæ ab ipso Civili additam ex Tacito modò indicavimus, molem, ad amnis abactionem atque alvei infra Vahalim, tenuitatem perplurimum contulisse. Nam dirutâ solum Drusi mole, quid nisi vetus fluxus flexusq́ obtigisset amni aut rediisset potius? verum additâ insuper aliâ, ex adverso superius paululum, necessariò vis & impetus fluminis versus Gallias & Vahalim, veluti abactus, revolvi debuit. Hoc, inquam, notasse Cluveri fuerat, qui se præsertim in Taciti lectione & libris ut Lynceum aliquem, ceteris velut Thiresiis quibusdam despectis, non semel venditant.

Corbulonis fossam non quęrendam inter Leydam & Delphos. Leccam potius videri.

Ibidem. 13. *Corbulonis fossam eodē superius capite quærit Cluverus: sed quærit, non invenit. Nam affirmare hæc talia, authore nullo vel locum vel Chorographiam certam indicante, abutentis otio videtur. Cluverus tamen invento alveolo qui ab urbe Leyda, vulgari nomine* De Vliet / *Delphos defertur, atq́ inde ad pagum* Maeslandt *deductus, tandē ad propinquum vicum* Sluys *Mosæ conjungitur, eum esse Corbulonis fossam arguit. Primum quia inter Mosam Rhenumque*

perducta

perducta est; tum quia Oceano proxima, ut quæ incerta ejus, id est, affluxus, ne ultra in superiorẽ insulæ partem aquis dãnosi transiant, quondam vetare potuerit: tertio quia spatiũ Taciti XXIII. *M. P. seu Dionis CLXX. stadijs quàm maximè convenit, utiq; si alveum fossæ, non intervallum, sequamur. Recta namq; linea inter Leydam &* **Slups** *distantia est XIIX. M. P. postremò, (quod vel caput totius argumentationis esse putat) quia fossa hæc nunc etiam vulgari vocabulo* **de Vliet** *appellatur. Quippe* **Vliet** *sive* **fluet** *Hollandorum linguâ æstuaria sive fluxus maris significat. Quibus singulatim respondere supervacuum existimo, præsertim cum fossam illam esse nuperum opus civitatum actis & attestantibus indigenis demonstrari queat: & situs, qui mediterraneus est, planè ad Oceanum ejusq; fluxus & refluxus non pertineat; nec illum deniq;, quem indicat Tacitus, præbere usum usquequaquam valeat. Quippe ita Tacitus*: Ne tamen miles otium exueret inter Mosam & Rhenum XXIII. M.P. spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur. *Quibus fere Dio consentit, ubi de eodem Corbulone*: Quum pax esset fossam per militũ manus à Rheno ad Mosam perduxit centum & septuaginta stadiorum lõgam, ne ij fluvij æstuante Oceano refluẽtes restagnarent. *Quæ si accuratius attendantur collata cum rerum & temporum tanta vicissitudine, tum & solo Bata-*

viæ adeò depreſſo ac fluxo , cur non liquere hæc nobis, ab authoribus præſertim ita obiter ac perfunctorie memorata, meritò dicamus? Deinde Ortelium, qui ad Leccam retulit, quamobrē ſummo & multiplici errore obſtrictum *Cluverus dicat , cauſas aut rationes magnopere non video. Nam ibi, circa Leccam dico, quanta Oceani æſtus damna jam olim dederit res & Annales patriæ loquuntur. Cluverus autem quod eundem Leccam à Civilis abactione natum, quaſi jam ratum ac certum , hic iterum iterumque repetat, ſupra, ut nobis videmur, ipſa meridiana luce clarius commonſtravimus, nihil eam abactionē ad Leccam , ſed ad Vahalim tantum pertinuiſſe. Idque ut etiam occaſione Corbulonis huius foſſæ, à Tacito & Dione indicatæ, arguamus, ita argumentum , ſeu potius quæſtionem formabimus. Quærere enim idque optimo jure, libebit, quod & ſupra obiter innuimus, quomodo Civilis levi abactione ejuſmodi fluentum & alveum tam certum ac undoſum, cujuſmodi Leccam eſſe conſtat, efficere potuerit, cum , ut Taciti ac Dionis verba habent, integræ legiones Corbulonis illi ducendæ foſſæ deſudarint? Aut ſi militem atque operas adhibuiſſe etiam Civilem velit , iterum quæro, quomodo id potuerit , tanto ſibi oppoſito adverſario, & undique cervicibus tunc eius imminentibus imperij Romani legionibus? Aut ſi nihilominus id fuerit , quare tacuiſſet Tacitus, ſimplice ac nudo* abactionis *vocabulo rem*

tantam

tantam indicasse contentus? Sed ô bone, pacis artes & opera hæc esse, nec posse nec solere inter arma tractari, præter cetera, quæ posuimus, verba Dionis, ubi pacis tempore *fossam Corbulonis ductam dicit, clarissime evincunt.*

De Batavorum insula Pliniana, ut eam vocat Iunius: deque Zozimi insulæ ejusdem divisione. Hadrianus Iunius in loco & meritò defensus.

HOc Capite *Cluverus denuo Hadriano Iunio litem intendit, quod ille duplicem Batavorum insulam fecerit,* veterem *scilicet, quæ Vahalis ac medio Plinij alveo includeretur; &* novam, *quæ à Vahali seu Mosæ ostio ad Rheni usque alveum Borealem, nunc Isalam & Flevum dictum, extensa postmodum fuerit. ut ita hæc ei quasi Pliniana vocetur Batavia. Verba Plinij quæ in mente habuit Iunius ista sunt:* In Rheno ipso prope centum millia passuum in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, &c. sternuntur inter Helium & Flevum. *Quibus hæc subjicit idem Iunius:* His ex verbis liquido discimus Rheni insulam Plinii ætate in septenos divisam fuisse populos, Batavos nimirum, Caninesates, Chaucos, Frisiabones, Frisios & Marsatios. *Quæ vicissim*

CAP. VII. 14.

Lib. 4. cap. 15.

Batavia cap. 3.

ſim excipiens Cluverus, maximè mirari ſe inquit, quomodo Iunius tanti ingenij tantæque doctrinæ vir in re tam aperta tamque perſpicua cæcutire tam miſerè potuerit :. Et cuinam (ita porrò addit) vel puero perſuaſerit, Plinium hic unum id appellaſſe, quod in plures partes diſſectum? ſed hic Cluverus haud meminiſſe illius formulæ videtur antiquorum hominum : INTER BONOS BENE AGIER, &, EX FIDE BONA. *Nam ſanè Iunio nullus hîc error, nulla halucinatio adſcribi poteſt, quum ante profeſſus fuerit, quænam eſſe vera Batavorum inſula: hoc de nova aut Pliniana Batavia pro conceſſo tantum, idque pace ac venia legentium veluti indultum, ſe accipere addens. Ait enim:* bona ergo legentium venia & pace liceat iſtam contractè & ſimpliciter Bataviam, vel cũ appendice, ſi res ita poſcat, Plinianam vocare. *Dum ergo hoc modo Bataviæ pomeria producit, Hornam quoque, natale ſuum ſolum, id eſt, minores in Rheni inſulis Friſios eidem incluſit. Quod uti ab eo impenſo in Patriam celebrandã ſtudio factum, ita quoque, & præſertim quæ deinceps Cap. ejuſdem Bataviæ* XI. *adducuntur, ſi interpretari candidè velimus, quid aliud voluiſſe ijs dicendus, quàm claros illos intra extima illa duo, Helium & Flevum, Rheni oſtia, populos, ob* nobiliſſimam *præ ceteris, ut eam celebrat Plinius,* Batavorum inſulam *ac ripæ cõtinentis Romanæ proximam, uno ſæpenumero*

Batavo-

Batavorum nomine κατ' ἐξοχὴν *censos universos fuisse? Quomodo hodieque id totum regnis & regionibus vicinis uno similiter Hollandiæ vocabulo nominatur. Et quod amplius est, non ipsi modo Hollandi, sed omnes Belgij, diversæ licet nationes, uno utpote celebratissimo Flandrorum nomine Gallis Italisque præsertim, communiter hodie & vulgo veniunt. Et licet Chorographis tam laxè & liberè loqui concedi fortasse vix possit, historiographis tamen & ad vulgi captum loquentibus, sæpenumero ignoscimus. Et nonne hoc pacto etiam classicis authoribus Gallorum vocabulo Belgæ; & Batavi vicissim, alijque circa Rhenum populi, uno Belgarum nomine appellantur? Tacitus quoque ipse, cum ait* Batavo equite protritos Æduos Arvernosque, *quis solos & meros Batavos, non etiam conterminos eorundem & fæderatos Caninefates & Marsatios, quorum aliquando seorsim cum Batavis, aliquando ne meminit quidem, comprehendi eodem censeat? Et iterum cum inquit ibidem hist.* 4. pulsum Batavorum insula Romanum nomẽ, *ecquis de sola Batavorum insulâ id strictè acceperit, cui constiterit in illâ rebellione, priusquam quidquam aperto Marte Civilis Bataviqne movissent, à Caninefatibus & Frisiis hiberna & cohortes castraque Romanorum, occupato circa Flevum proximo Oceano, & expugnata direptaque fuisse, ut suo mox loco memorabitur uberius? Quod dicimus non spernendus author*

Lib.4. hist.

thor

thor Cornelius Haemrodius, hisce nostris Disceptationibus ad calcem seorsum additus, dixisse propemodum ac voluisse deprehenditur, cum ait: Nec in tantam olim augustiam contractam fuisse insulam, ut nunc sibi quidam persuasum habent, abunde ex Plinij verbis demonstratur. cum enim dicat, nobilissimam Batavorum insulam & Caninefatũ & Frisiorum, &c. inter duo Rheni ostia comprehensa, quid aliud significat, quam has insulas Batavis adnumeratas, & à primaria insula communi etiã ratione Batavos appellatos; peculiariter autem alios Batavos, alios Caninefates, alios Frisios dictos. *Nec abludit ab his Anonymus. Et, inter veteres, quid de Zozimo dicemus? cujus verba sunt* : Ad Bataviam appulsi, quà bipartitus Rhenus insulam facit, quavis fluviali insula grandiorem. *An statuendum hoc loco Zozimum solo Vahalis & Rheni medij cancellis Bataviam circumscribere? An verò, quia insulam omni fluviali insula majorem facit, de bifida ea divisione accipimus, quam Helio & Flevo Plinius, Tacitus Vahali & fossili Rheno Drusiano cum lacubus ad Flevum & Oceanum usq; terminavit? Sanè cum tam modicus ævo Plinij ille medius alveus fuerit, ut etiã paulo post Plinium ejus ne meminerit quidem Tacitus, quis non verisimili conjectura de extimo utroq; intelligendum Zozimum concedat?*

In Descript. Bataviæ.

Lib. 3.

Sed

Sed nos hæc disputasse tātum probabiliter cōtenti, non asseverasse pertinacius, illud præterea silentio haud transmittendum putamus, quod idem Cluverus Iunio impingit, quasi ille ad lacum Flevonem fabricatas eas naves voluerit, quas per lacus & inde Oceanum, Amisiam petiturus Germanicus secum habuit. Ita enim Cluverus: Scilicet frustra est Iunius. Quem jam iterum rogo, si ad lacum Flevonem, fabricatæ sunt naves, quid opus habuerunt fossam Drusianam ingredi, ut ait Tacitus Annal. 2. Oceanum & Amisiam flumen petituræ? *At ubi hæc Iunius Cluvere? adfers quidem ex Cap. 1. hæc ejus verba:* Quia lacus ille Pompomi Melæ ingens, qui nunc Zuyder-Zee dicitur, propter faciles undecunque appulsus & oportunitatem ad transmittenda bella & navium infinitarum receptum cum descripta à Tacito Batavorum insula maximè conveniat. *Quibus cōtinenter subjicit Cluverus:* En quod jam dudum suspicatus sum, Iunium Taciti historias nunquam diligenter aut serio legisse: certè si serio legit, tamen res memoratas penitus haud perspexit. Nam si unquam ea observasset, quæ ego supra de medij alvei abactione exposui, certè nunquam in hunc tam manifestum errorem præceps actus fuisset. *Hactenus Cluverus; in quem ego nonne optimo jure de*

Iunio

Iunio retorqueam , quod ille in Iunium de Tacito? eum nimirum nunquam diligenter aut seriò Iunium legiße, aut si legerit, tamen res ab eo memoratas penitus haud perspexisse. Nam illis è Iunio allatis verbis, quomodo quod arguit demonstraverit? Sanè si præter ea, alia non habeat, nonne meritò in illum falsi agat, si viveret, Iunius? Nam ubi eo loci asserit Iunius apud Flevum lacum ullas fabricatas naves? Dicit idoneū esse navium infinitarum receptum. Tune hoc Cluvere negabis? Dicit præterea non ob illam solam commoditatem, sed propter faciles quoque appulsus undecunque, & oportunitatem ad trāsmittenda bella cum descripta à Tacito Batavorum insula quàm maximè convenire, respiciens nimirum atque æmulans illa Taciti, ubi de classe Germanici agitur: insula Batavorum , in quam convenirent, prædicta , ob faciles appulsus accipiendisque copijs oportuna. *Hæc, ut noster est captus, Iunij mens & scopus fuerit. Aliter si sit, demonstra Cluvere, ignoraße aut negaße Iunium Taciti jam postremo citata de statione, quæ circa insulam superiorem indicta fuerat, accipienda, antequam nimirum Drusi fossam classis ingrederetur: hoc, inquam, si monstraveris herbam hac parte libentes porrigimus. Quid jam ergo hic peccatum? aut ubi ille manifestus & præceps Iunij error? à quo scilicet immunis fuißet , si in mentem ei venisset, quod de medij Rheni abactione à te (ita enim*

enim loqueris) fuit obſervatum. Ride quidquid amas Cato. ſed reprimam. Illud interim obiter nõ poſſum non dicere, nunquam æque beatum videri Cluverum quam cum illius, de Rheni in Leccã abactione, commenti meminiſſe poteſt. Facit id autem & repetit haud ſemel nec perfunctoriè, ſed identidem & pæne paſſim eo ipſo Commentario. Idq́ dum facit, tum gaudet in ſe tumq́ ſe ipſe miratur, ſpretis ſcil. & faſtiditis, qui idem non videre. Et tamen id ipſum commentum quã ſit nihili, imò quam nihil ſit illo magis commentitium ſuperius ad plenum, quod dicitur, demonſtraſſe exiſtimo. Diatribis 10. 11. & 12.

Hadr. Iunius & Ianus Douſa filius excuſati. Cattorum in inſulas Zelandicas coloniæ.

N*On admittit Cluverus, quod viri docti unanimi propemodum conſenſu aſſertum ſtatuerunt, Cattium Zelandiæ oppidum ante annos jam multos inundatione Oceani, cujus & ſupra meminimus, abſumptum ita, ut ſola nunc turris medijs aquis exſtans rei memoriam tueatur, eſſe veſtigiũ aut ullum indicium eam gẽtem à Cattis originẽ, aut primos ſuos natales accipere debere. Ait enim:* Quare haud modicè mihi erraſſe videtur, Iunius, qui Cattium Zelãdiæ, quod vulgo Catʒ Cattorum progeniei, id eſt, Batavorum reliquias permanere cenſet; & Ianus Douſa filius, qui Catten- CAP. VIII. 15.

D dyck/

Duck/vicum prope Gouzam urbẽ ab iiſdẽ denominatũ arbitratur. *Quod ne Apollinis effatũ putemus, rationibus etiã demonſtrare*
1. *conatur* 1. *quia diſtantia major ab his vicis ad Moſam amnẽ, proximum inſulæ Batavicæ latus,*
2. *quam maxima ipſius inſulæ latitudo.* 2. *quia Toxandrorũ eſſe Zelandicas inſulas, non Batavorũ, ex Cæſaris Cõmentarijs et Pliniij geographia pro-*
3. *barit.* 3. *deniq́ʒ, quia ita etiã Friſiorum agros Batavi coluerint circa ſilvam, cui vulgare nomen* **Zevẽwoldẽ**/*ubi vicus ſit* **Cattlijck** *nomine*

Reſpond. *Reſpõdemus primo, cum inſulæ latitudo ſum-*
1. *ma, vel ipſo Cluvero teſte, ſit circiter quinq́ʒ milliarium, nullam aut exiguam eſſe eam diſtantiã, ſi cum primis Cattorũ ſedibus, unde in inſulã Batavorum profecti Catti, conferatur; adeò ut nihil ſit magnopere aut novum aut mirum, ſi pauculis inſuper miliaribus progreſſi, proxima à Moſæ fluento æſtuaria inſulasque ex eadẽ colonia*
2. *nonnulli occuparint. Deinde etiamſi Toxandri univerſas Zelandorũ inſulas olim tenuerint (quod necdũ probatum ſupra oſtendimus) quid tamen obſit quo minus ibi Cattorũ progenies ſedes fixe-*
Plin. Lib. *rit, cum, ut diſertè teſtatur Plinius, omnes circa*
4. cap. 13. *Boreæ Oceanũ & Rhenũ aduſque Schaldim colentes gentis ſint Germanicæ. Et tandẽ quod abſonũ*
3. *putat, ſi agros continentis Friſiæ aliqui Cattorum coluerint, rationẽ requiro. quãvis interea, num pagi ea vox, quam adducit, Cattos ſpectet necne, ſuſque deque habeam, cum ad cauſam, quæ hîc agitur, parum aut nihil pertineat.* Reje-

Rejectis hunc in modum Cluveri ratiunculis, illud præterea non notari non debet, quod ex Cæsare demonstrasse se dicat Toxandros ea loca tenuisse, quæ nunc Zelandi. Nā antea ostensum hic non iterabo, ne nominatos quidē Cæsari Toxandros usquā: Deinde omitti nec potest, quod Batavorū coloniæ tribuat, quod Cattis debetur. Cattorū enim coloniā esse Cattiū, et si quæ sunt talia, nō Batavorū propriè, asseveratur. Nec ferendū deniq́, quod tāti erroris tantillā ob causā maximos viros arcessat, cum præsertim illud asseruerint, quod ratio dictat, quod & eruditorum consensus statuit, et quo deniq́ nec ipse adversarius adferre quidquā certius potuit. Nam à Cattis ortos Batavos, si Taciti testimonium non exstaret, quid magis affirmet, quàm quod Cattici nominis in Cattwyck/ *& aliàs his in oris insulisq́ Rheni, supersint reliquiæ? Cur ergo & de ijs Batavorū agro quam proximis populis, Zelandicas, inquam, insulas colentibus, adseri id ipsum eodē jure non debeat, præsertim cum tam claræ etiam ibi Cattorū appellationes nominisq́, ut diximus, vestigia, quæ idē quasi clamitant? ne dicam, quod haud leve etiam momentū & pondus sit ad probandum, quod volumus, fuisse olim in Cattis Cattorū metropolim* Mattiū *nomine,* Matmelt *hodie existimāt, cui eodē plane flexu* Cattiū Zelādorū, *si vocē spectemus, consonare quā proximè quivis agnoscat.*

Superiorum pressior demonstratio.

Excutitur Melæ locus de Rheni ostijs: præmissa defensione Iunii. Vahalis & Isala utrobique Rhenus Melæ.

Vndi-

Vindicandus est, ita Cluverus loquitur, ab injuria Iunij Mela. At quanam iniuria Melam affecit Iunius, cuius non & ipse Cluvere reus sis? Opinionem suam de loco Melæ adfert Iunius, idem & tu. Iunius putat parum attentè aut verè dixisse, cum dicat, Rhenũ haud procul à mari huc & illuc dispergi. *Verum in mente habuisse Cæsarem ais. Esto. aspexerit Mela Cæsarem, qui scripsit,* ubi Oceano appropinquat. *Iam tu ipse quid? nonne hæc tua sunt?* Vahalim Mela omnino ignorasse videtur, alioquin haud dubiè relaturus *Scilicet quia non nominavit, ignoravit ergo. At quomodo ignorasse potest, cum, ut ipse fateris, Cæsaris locum aspexerit, in quo diserte Vahalis mentio? Sed Mela, quod scire te oportuit, Rhenum describens Rhenum etiam, cognomentis posthabitis, in mare deducit. Sic Tacitum quis ignorasse Vahalim 5. hist. dicat, ubi eius vice simpliciter Rhenum nominat, cum inquit:* Spatium velut æquoris captum, ubi Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit: *Et ipsũ Cæsarem; cuius exemplo & imitatione Mela loquitur, qui Mosæ & Vahalis concursum intelligens* confluentem Mosæ & Rheni *simpliciter dicit, quarto belli Gallici. Itaq; Mela etiam utrimq; nec ab occidua tantum, sed Boreali quoque parte, perpetuo Rheni nomen retinet Rhenũque emittit. Quod quam pro te faciat, qui ubiq; negas Borealem Rheni alveum, nunc Isalam dicimus,*

Lib. 4. Bell. Gall.

mus, veteribus & Tacito præsertim, qui tamen statim post Melam claruit, Rhenum intellectū, ipse videris. Sed de eo mox. Nunc ipsa Pomponij verba videamus: Rhenus ab Alpibus decidēs, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium: mox diu solidus & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tum &, donec effluat Rhenus; ad dextram primo angustus & sui similis, post ripis longe ac late recedentibus, jam non amnis sed ingens lacus, ubi Campos implevit, Flevo dicitur, ejusdēque nominis insulam amplexus, fit iterū arctior iterumque fluvius emittitur. *Hic ais, dextrum alveum esse Isalam et lacum* Zuyder-Zee; *sinistrum vero esse eum, qui Lugdunum Batavorum fertur, idq; ex eo liquere, quod amnem etiam tum esse & Rhenum dici, donec effluat, asseveret. Verum jam monui Rhenum utrobiq; emittere Melam, quem nimirum describendum sumserat. Et quomodo sit simile vero Melam, qui, ut ipse fateris, Cæsarem in delineando Rheno pro parte sequitur, ita id flumen descriptum nobis dare voluisse, ut, quod caput erat, quodque Cæsari accuratè notatum, omitteret, Batavorum nimirum insulam? Nam profecto, qui præterito Rheni extimo alveo et ostio à parte occidentis, Vahali scil. solius extimi Borealis cum medio meminerit, is Batavorum insulam Rheno*

suo haud inclusit. Quanto ergo rationi magis cōsentaneum Vahalim, quo & Iunius inclinat, potius interpretari praesertim cum & Vahalis in illis fluvij divergijs omnium primus occurreat; atque inde Drusi fossam ingrediens Rhenus; ac tertio deniq; atq; ultimo ordine medius, qui Melae verbis ac descriptioni non cōpetit, utpote sui (cum eodem Mela loquor) haud similis, & ideo quoq; modicum nomini suo servare alveum Plinio indicatus: Plinio, inquam, qui Melae propemodum synchronus fuit. Nam quod addis objectioni quasi occurrere studens, Cum Mela haec scriberet, medium alveum, qui Rheni nomen perpetuo tulit, nondū per Civilem abactū, lato alveo in Oceanum effluxisse, *verba sunt, & non nisi commento illo abactionis innitētia. Verum id cum ante nobis ita confutatum sit, ut non tantum commentum, sed fucus etiam, ex Taciti praesertim verborum inversione, jam appareat, illi ulterius immorari non convenit.*

Plinium & Ptolemęum recte Galliam Belgicā Flevo finivisse, contra quàm vult Cluverus, etiam ex Tacito indicatū.

T*Va verba Cluvere pag. 8. ad oram haec posita sunt:* Plinius ac Ptolemaeus omnes
CAP. X. 17. Rheni tricornis insulas Belgicae provinciae tribuūt, at minus rectè. *In textu autem ipso ista adfers:* Disertè Plinius post memoratos Belgicae Galliae populos Rhenum accolentes Germaniae gentium in eadem pro-

provincia Gallica ait esse Batavos, imo quod majus est maximeq; in Iunij sentẽtiã pugnat, quos in insulis Rheni praecedẽti capite dixerat, Caninefates, Frisios, Marsatios in eandẽ provinciã cõfert. Cui consentire videtur Ptolemæus, tertiũ seu ultimum Rheni alveũ in Gallia Belgica recensens. Quod nos tamen ex Tacito alijsq; authoribus tẽperamus. *Hæc ita rotundo ore Cluverus: At mihi si loqui ad modũ et morẽ ejusdẽ Cluveri animus foret, nonne, quod ille in homines de republica literaria deq; geographia optimè meritos, idq; ĩmerenter passim audet, in eum hoc loco retorquere optimo jure occasio nunc esset? Nonne illis verbis, quibus Iunium alibi, aut Vertranium excipit pag. 48. quærens* qua frõte plus sibi fidei, quã Dioni antiquo scriptori haberi postulet, *hic in eum uti meritissimo liceret ac poscere, quâ fronte plus sibi fidei quam Plinio ac Ptolemæo, antiquis & classicis authoribus, haberi postulet. Sed inquit, ex Tacito & alijs authoribus illorum dicta & sensus tẽperamus ad medium Rhenum Belgicam restringentes. Quid? an tua Cluvere rogatione tantis scriptoribus fides constabit, ut quod rectũ aut non rectũ apud eos habeatur, sententiã pronuncies? Et ubi quæso hoc tu, quod dicis vel ex solo Tacito probare hucusq; potueris? Nã ex ijs quæ hactenus diximus, et porro dicemus, ne nominatum quidem uspiam, sed tacitum ubiq; Rhenum medium Tacito cõstabit.*

manis classibus navigatos, *accipiendũ quasi utrosque Frisios, tam majores quam minores, transrhenanos intelligendos censeat, idque aspectu medij Rheni. Verum hoc quam à vero & Tacito alienum sit, mox dicetur. Post hæc adducit, quibus Batavi inter Belgas haberi monstrantur: At ea cum ejusmodi sint, quæ manifesto haud arguant excludi, qui intra medium & extimum Rheni ostium Flevum consistunt, singula ad examen citare, ne longum fiat, supersedendum putamus. Interea tamen vel unico argumento haud excludi intermedios conficimus, dum Caninefates sociosque non minus quam Batavos Galliarum portionem fatetur Civilis, Alpinum Montanũ Trevirum talibus verbis alloquens hist. 5.* En ego præfectus unius cohortis & Caninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa Castrorum spatia excidimus. *Ecce Caninefates, & cum ijs ejusdem rebellionis socios (Nam & Civilis suum seorsim militem duxit) Marsatios puta ceterosque extra medium Rhenum constitutos, Galliarum quoque portionem facit. Et quod amplius est Plinius, postquam enumerasset lib. 4. cap. 15. non Caninefates tantum, sed & reliquos Rheni insulanos, Batavis proximos, addit deinde ait q̃; capite decimoseptimo, eosdem omnes Galliæ Belgicæ esse populos. Sunt enim hæc ejus verba:* Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia Belgica Nemetes, Tribochi,

Vangiores; hinc Vbij, colonia Agrippinensis, Gugerni, Batavi, & quos in insulis diximus Rheni. *Quo quid esse adversus Cluverum manifestius potest. Cui et addas licet Ptolemaeum, qui ultimum, id est, Borealē Rheni exitum, Flevum nimirum, similiter Galliae Belgicae terminū statuit: Et denique 4. Annal. & 4. hist. Tacitum,* hiberna *ibi &* Flevū castellū, *extrema quasi ab ea parte adversus Frisios imperij munimenta, agnoscentem.*

Cap. 9. Tab. Europ. 3.

At Cluverus, post habitis hoc loco, aut saltē silentio involutis, & ante quoque contētim rejectis tantorum authorum testimonijs, quo Galliam nihilominus atque imperium medio Rheno terminet, denuo ad Rhenum à Civili abactum cōfugit, imperatque in verbis Taciti, ubi dicitur, Rhenū in Galliā prono alveo ruentem disiectis, quæ morabantur à Civili effusum, *intelligendum per* Galliæ *vocē* Bataviam insulam. *Quod ego frigidissimum schema, & superius liquidissimè confutatum, ne affingere homini videar, verba ejus ipsissima citabo:* Quum igitur Lecca mediā fere secet insulam in manifesto est ipsam INSVLAM hîc GALLIAM appellasse Tacitum. *Sed, ohe jam satis est, ohe libelle.*

Vide supra Discep. 17.

Explicantur Taciti verba 4. histor. ubi Batavi Gallia excludi videntur, Cluveri callida medii Rheni inductio.

Sudat

SVdat *Cluverus in explicando Tacito hist*.4.cũ Batavos extrema Gallicæ ore vacua cultoribus, simulq; insulam, inter vada sitã occupasse dicat. *Itemq; libro de Germania, ubi* Batavi *dicuntur, non multum ex ripa, sed insulam* Rheni amnis colore. *Sudat hic, inquam, cum videatur illis quasi Galliæ termino excludere Batavos, quos tamen aliàs inter Gallos Belgasq; libenter agnoscit; & inter cetera, cum fateatur eodẽ hist.4.lib*. Batavo equite protritos Æduos Arvernosque: fuisse inter Virginij auxilia Belgas, vereq; reputantibus Galliam suismet viribus concidisse. *Et alibi deniq; eosdẽ dicat ea loca devenisse, in quibus pars Romani imperij fierent. Quo ergo tollat difficultatem & pugnantia veluti conciliet, ait* Gallicã oram & Gallicã ripam *de continente Galliarum accipiendam: quæ autem ulteriora sunt, esse non in continente, sed in* insula. *quæ non minus esse pars Galliæ potest, quàm Britannia Europæ, etiamsi extra continentẽ Europæ collocata. Cõcedamus. Sed interrogare interea Cluverum libet, quare ulteriora in insula, nõ in insulis dicat, cum præsertim nequaquam, ut aliqui, aspectu Helij & Flevi, intermedium quidquid est, insulæ uni adscribat. Nam plures, non unam insulam, ultra eã Galliæ continẽtis partem esse, & facies ipsa rerũ, & Plinius, varios hic populos et insulas adusque Flevum agnoscens, liquido attestatur, nec ignorare Cluverus potuit Marsatios insulanos admittẽs. Nisi*

CAPVT XI. & X.

Nisi forte etiam hac inductione obtenturum se speraverit, ut medius Rhenus cum Vahali insulã circumscribens, Galliæ terminus statueretur. At in eo quam frustra sit, hinc apparet. & refutat, præter Ptolemæum & Plinium, quorum jam modo verba posuimus, etiam Tacitus, qui postquam Rhenum apud pincipium agri Batavi velut in duos amnes divisit, alterum eorum ad Gallicam ripam per Vahalim latiorem & placidiorem adfluere dixit, & alterum, quà Germaniam prævehitur, nomen & violentiam cursus servare; intelligens nimirum, quod & tota rei narratio clamat, vocabulo Germaniæ *accipiendam continentem statim ex opposito agri Batavi circa Lobecum, ut nunc vocant, Germaniæ oram: atq; inde continuè fossili Drusi Rheno ad usque Flevum; terminandam, non medium Rheni alveum; qui, ut ostendimus, intra non tantum Galliæ Belgicæ complexum; sed præterea Rheni reliquas insulas ultra se, Flevum usque, habet, ad Germaniam aut continentem nequaquam pertinentes.*

Medium Rhenum circa Egmondam potius quam Cattvicum effluxisse ex sententia Haemrodij. eaque excussa.

CAP. XI. 20. *Sed antequam à medio Rheni alveo concedamus: receptam in hoc Chorographorum sententiam tutatur Cluverus, uno scilicet eo dissimilis sibi ipse, quod ostium ejusdem alvei circa Cattvicum & arcem Britannicam collocet. Quod tamen*

men quemadmodum non refellere, ita nec asseverare animus est; præsertim cum hodie infra statim Rhinoburgum stagnet is alveus, atque inde Oceanum versus, nulla vel levißima exstent alvei ullius vestigia. Accedit, quod Haemrodius qui, præter Helium & Flevum, duo extima Rheni ostia, quatuor insuper interna vetere hūc & medium alveū cum alijs duobus versus Boreā nominans agnoscat; memoretq; anno octogentesimo & sexagesimo, aut circiter, exorta ingenti tempestate Oceanoq; ventis intumescente, veterem eum Cattvicensem retrorsus actum ac Leccæ rivum ingressum, exinde obstructum mansisse, Lecca e contra aquis liberaliter exausto. Quod ipsum licet Lamberto quoque Hortensio, nec non & Iunio deinde, relatum meminerim, tamen laborare narrationis fidem existimo potius ducēs, quod & alibi nobis traditum, Drusi primum, atque inde Corbulonis fossæ intermediorum præcipuè alveorum mutationes imputandas. Sed Haērodius illis, quæ dixi, positis, Plinij medium alveum in agros Egmondanos abducit, ibi inquiens modicum illum alveum, Plinio memoratum, vel nomine id hodieq; indicante, fluxisse; cum & hodieque nostratibus **Engmondt** *arctatum seu modicum os atque alveum denotet. Et hoc etiāsi frivolum quis dicat, præsertim cum etiam* medium, *mediocre interpretetur, ut & notatum jam ante nobis in Amstelodamensibus, tamen verum interea est, illa circiter, ut plurimum, loca ap-*

Haemrod. pag. 9.

ca ap-

Vindicandus est, ita Cluverus loquitur, ab injuria Iunij Mela. At quanam iniuria Melam affecit Iunius, cuius non & ipse Cluvere reus sis? Opinionem suam de loco Melæ adfert Iunius, idem & tu. Iunius putat parum attentè aut verè dixisse, cum dicat, Rhenū haud procul à mari huc & illuc dispergi. *Verum in mente habuisse Cæsarem ais. Esto. aspexerit Mela Cæsarem, qui scripsit*, ubi Oceano appropinquat. *Iam tu ipse quid? nonne hæc tua sunt?* Vahalim Mela omnino ignoraſſe videtur, alioquin haud dubiè relaturus. *Scilicet quia non nominavit, ignoravit ergo. At quomodo ignorasse potest, cum, ut ipse fateris, Cæsaris locum aspexerit, in quo diserte Vahalis mentio? Sed Mela, quod scire te oportuit, Rhenum describens Rhenum etiam, cognomentis post habitis, in mare deducit. Sic Tacitum quis ignorasse Vahalim 5. hist. dicat, ubi eius vice simpliciter Rhenum nominat, cum inquit:* Spatium velut æquoris captum, ubi Moſæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit: *Et ipsū Cæsarem; cuius exemplo & imitatione Mela loquitur, qui Mosæ & Vahalis concursum intelligens* confluentem Moſæ & Rheni *simpliciter dicit, quarto belli Gallici. Itaq; Mela etiam utrimq;, nec ab occidua tantum, sed Boreali quoque parte, perpetuo Rheni nomen retinet Rhenūque emittit. Quod quam pro te faciat, qui ubiq; negas Borealem Rheni alveum, nunc Isalam dicimus,*

Lib. 4. Bell. Gall.

mus, veteribus & Tacito præsertim, qui tamen statim post Melam claruit, Rhenum intellectũ, ipse videris. Sed de eo mox. Nunc ipsa Pomponij verba videamus: Rhenus ab Alpibus decidẽs, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium: mox diu solidus & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tum &, donec effluat Rhenus; ad dextram primo angustus & sui similis, post ripis longe ac late recedentibus, jam non amnis sed ingens lacus, ubi Campos implevit, Flevo dicitur, ejusdẽque nominis insulam amplexus, fit iterũ arctior iterumque fluvius emittitur. *Hic ais, dextrum alveum esse Isalam et lacum* Zuyder-Zee; *sinistrum vero esse eum, qui Lugdunum Batavorum fertur, idq́ ex eo liquere, quod amnem etiam tum esse & Rhenum dici, donec effluat, asseveret. Verum jam monui Rhenum utrobiq́ emittere Melam, quem nimirum describendum sumserat. Et quomodo sit simile vero Melam, qui, ut ipse fateris, Cæsarem in delineando Rheno pro parte sequitur, ita id flumen descriptum nobis dare voluisse, ut, quod caput erat, quodque Cæsari accuratè notatum, omitteret, Batavorum nimirum insulam? Nam profectò, qui præterito Rheni extimo alveo et ostio à parte occidentis, Vahali scil. solius extimi Borealis cum medio meminerit, is Batavorum insulam Rheno*

ſuo haud incluſit. Quanto ergo rationi magis cõſentaneum Vahalim, quo & Iunius inclinat, potius interpretari præſertim cum & Vahalis in illis fluvij divergijs omnium primus occurreat; atque inde Druſi foſſam ingrediens Rhenus; ac tertio deniq; atq; ultimo ordine medius, qui Melæ verbis ac deſcriptioni non cõpetit, ut pote ſui (cum eodem Mela loquor) haud ſimilis, & ideo quoq; modicum nomini ſuo ſervare alveum Plinio indicatus: Plinio, inquam, qui Melæ propemodum ſynchronus fuit. Nam quod addis objectioni quaſi occurrere ſtudens, Cum Mela hæc ſcriberet, medium alveũm, qui Rheni nomen perpetuo tulit, nondũ per Civilem abactũ, lato alveo in Oceanum effluxiſſe, *verba ſunt, & non niſi commento illo abactionis innitẽtia. Verum id cum ante nobis ita confutatum ſit, ut non tantum commentum, ſed fucus etiam, ex Taciti præſertim verborum inverſione, jam appareat, illi ulterius immorari non convenit.*

Plinium & Ptolemæum rectè Galliam Belgicã Flevo finiviſſe, contra quàm vult Cluverus, etiam ex Tacito indicatũ.

TVa verba Cluvere pag. 8. ad oram hæc poſita ſunt: Plinius ac Ptolemæus omnes
CAP. X. 17. Rheni tricornis inſulas Belgicæ provinciæ tribuũt, at minus rectè. *In textu autem ipſo iſta adfers:* Diſertè Plinius poſt memoratos Belgicæ Galliæ populos Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadem pro-

provincia Gallica ait esse Batavos, imo quod majus est maximeq; in Iunij sentẽtiã pugnat, quos in insulis Rheni præcedẽti capite dixerat, Caninefates, Frisios, Marsatios in eandẽ provinciã cõfert. Cui consentire videtur Ptolemæus, tertiũ seu ultimum Rheni alveũ in Gallia Belgica recensens. Quod nos tamen ex Tacito alijsq; authoribus tẽperamus. *Hæc ita rotundo ore Cluverus: At mihi si loqui ad modũ et morẽ ejusdẽ Cluveri animus foret, nonne, quod ille in homines de republica literaria deq; geographia optimè meritos, idq; ĩmerenter passim audet, in eum hoc loco retorquere optimo jure occasio nunc esset? Nonne illis verbis, quibus Iunium alibi, aut Vertranium excipit pag. 48. quærens* qua frõte plus sibi fidei, quã Dioni antiquo scriptori haberi postulet, *hic in eum uti meritissimo liceret ac poscere, quâ fronte plus sibi fidei quam Plinio ac Ptolemæo, antiquis & classicis authoribus, haberi postulet. Sed inquit, ex Tacito & alijs authoribus illorum dicta & sensus tẽperamus ad medium Rhenum Belgicam restringentes. Quid? an tua Cluvere rogatione tantis scriptoribus fides constabit, ut quod rectũ aut non rectũ apud eos habeatur, sententiã pronuncies? Et ubi quæso hoc tu, quod dicis vel ex solo Tacito probare hucusq; potueris? Nã ex ijs quæ hactenus diximus, et porro dicemus, ne nominatum quidem usþiam, sed tacitum ubiq; Rhenum medium Tacito cõstabit.*

anis classibus navigatos, *accipiendū quasi rosque Frisios, tam majores quam minores, an sRhenanos intelligendos censeat, idque aspectu medij Rheni. Verum hoc quam à vero & Tacito alienum sit, mox dicetur. Post hæc adducit, uibus Batavi inter Belgas haberi monstrantur: At ea cum ejusmodi sint, quæ manifesto haud rguant excludi, qui intra medium & extimum Rheni ostium Flevum consistunt, singula ad eximen citare, ne longum fiat, supersedendum putamus. Interea tamen vel unico argumento haud excludi intermedios conficimus, dum Caninefates sociosque non minus quam Batavos Galliarum portionem fatetur Civilis, Alpinum Montanū Trevirum talibus verbis alloquens hist. 5.* En ego præfectus unius cohortis & Caninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa Castrorum spatia excidimus. *Ecce Caninefates, & cum ijs ejusdem rebellionis socios (Nam & Civilis suum seorsim militem duxit) Marsatios puta ceterosque extra medium Rhenum constitutos, Galliarum quoque portionem facit. Et quod amplius est Plinius, postquam enumerasset lib. 4. cap. 15. non Caninefates tantum, sed & reliquos Rheni insulanos, Batavis proximos, addit deinde aitq̃, capite decimoseptimo, eosdem omnes Galliæ Belgicæ esse populos. Sunt enim hæc ejus verba:* Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia Belgica Nemetes, Tribochi,

Vangiores; hinc Vbij, colonia Agrippinensis, Gugerni, Batavi, & quos in insulis diximus Rheni. *Quo quid esse adversus Cluverum manifestius potest. Cui et addas licet Ptolemaeum, qui ultimum, id est, Boreale Rheni exitum, Flevum nimirum, similiter Galliae Belgicae terminũ statuit: Et denique 4. Annal. & 4. hist. Tacitum,* hiberna *ibi &* Flevũ castellũ, *extrema quasi ab ea parte adversus Frisios imperij munimenta, agnoscentem.*

Cap. 9. Tab. Europ. 3.

At Cluverus, post habitis hoc loco, aut saltẽ silentio involutis, & ante quoque contẽtim rejectis tantorum authorum testimonijs, quo Galliam nihilominus atque imperium medio Rheno terminet, denuo ad Rhenum à Civili abactum cõfugit, imperatque in verbis Taciti, ubi dicitur, Rhenũ in Galliã prono alveo ruentem disiectis, quae morabantur à Civili effusum, *intelligendum per* Galliae *vocẽ* Bataviam insulam. *Quod ego frigidissimum schema, & superius liquidissimè confutatum, ne affingere homini videar, verba ejus ipsissima citabo:* Quum igitur Lecca mediã fere secet insulam in manifesto est ipsam INSVLAM hîc GALLIAM appellasse Tacitum. *Sed, ohe jam satis est, ohe libelle.*

Vide supra Discep. 17.

Explicantur Taciti verba 4. histor. ubi Batavi Gallia excludi videntur, Cluveri callida medii Rheni inductio.

Sudat

Vdat Cluverus in explicando Tacito hist. 4. cũ Batavos extrema Gallicæ ore vacua cul- ribus, simulq; insulam, inter vada sitã ccupasse dicat. *Itemq; libro de Germania, ubi* atavi *dicuntur, non multum ex ripa, sed insu-m* Rheni amnis colore. *Sudat hic, inquam, um videatur illis quasi Galliæ termino exclude- Batavos, quos tamen aliàs inter Gallos Belgasq; benter agnoscit ; & inter cetera, cum fateatur odẽ hist.* 4. *lib.* Batavo equite protritos Æ- luos Arvernosque: fuisse inter Virginij uxilia Belgas, vereq; reputantibus Gal- iam suismet viribus concidisse. *Et alibi de niq; eosdẽ dicat ea loca devenisse, in quibus pars Romani imperij fierent. Quo ergo tollat difficul- tatem & pugnantia veluti conciliet, ait* Gallicã oram & Gallicã ripam *de continente Gallia- rum accipiendam: quæ autem ulteriora sunt, esse non in continente, sed in* insula. *quæ non minus esse pars Galliæ potest, quàm Britannia Europæ, etiamsi extra continentẽ Europæ collocata. Cõce- damus. Sed interrogare interea Cluverum libet, quare ulteriora in insula, nõ in insulis dicat, cum præsertim nequaquam, ut aliqui, aspectu Helij & Flevi, intermedium quidquid est, insulæ uni ad- scribat. Nam plures, non unam insulam, ultra eã Galliæ continẽtis partem esse, & facies ipsa rerũ, & Plinius, varios hic populos et insulas adusque Flevum agnoscens, liquido attestatur, nec ignora- re Cluverus potuit Marsatios insulanos admittẽs.*

CAPVT XI. & X.

Nisi

men quemadmodum non refellere, ita nec asseverare animus est; præsertim cum hodie infra statim Rhinoburgum stagnet is alveus, atque inde Oceanum versus, nulla vel levissima exstent alvei ullius vestigia. Accedit, quod Haemrodius qui, præter Helium & Flevum, duo extima Rheni ostia, quatuor insuper interna veterẽ hũc & medium alveũ cum alijs duobus versus Boreã nominans agnoscat; memoretq́ anno octogentesimo & sexagesimo, aut circiter, exorta ingenti tempestate Oceanoq́ ventis intumescente, veterem eum Cattvicensem retrorsus actum ac Leccæ rivum ingressum, exinde obstructum mansisse, Lecca e contra aquis liberaliter exhausto. Quod ipsum licet Lamberto quoque Hortensio, nec non & Iunio deinde, relatum meminerim, tamen laborare narrationis fidem existimo potius ducẽs, quod & alibi nobis traditum, Drusi primum, atque inde Corbulonis fossæ intermediorum præcipuè alveorum mutationes imputandas. Sed Haẽrodius illis, quæ dixi, positis, Plinij medium alveum in agros Egmondanos abducit, ibi inquiens modicum illum alveum, Plinio memoratum, vel nomine id hodieq́ indicante, fluxisse; cum & hodieque nostratibus **Engmondt** *arctatum seu modicum os atque alveum denotet. Et hoc etiãsi frivolum quis dicat, præsertim cum etiam* medium, *mediocre interpretetur, ut & notatum jam ante nobis in Amstelodamensibus, tamen verum intereà est, illa circiter, ut plurimum, loca ap-*

Haemrod. pag. 9.

ea appulisse Normannicas classes;quod sine portu aut ostij saltem vestigijs fieri quomodo potuit?ut tale quid exstitisse eo tractu verisimile videatur. Et accedunt testimonij vice Rheni juxta Egmondam alvei quædam reliquiæ;Berghem præsertim eo loci villa,quæ hodieque nomen retinet, et olim ab occidente Rheni in literis donationum Arnulphi,Theodorici filij, tertij Comitis Hollãdiæ,qui obijt anno DCCCC.LXXXVII.posita reperiatur. Ita enim ibi legere est : in villa Berghem ab occidente Rheni posita, quatuor mansus. *Quæ sanè ejusmodi sunt, quæ Rheno medio,quem fere omnes juxta Cattvicum & arcem Brittenburgicam , ut indicavimus,defluxisse in mare volunt, status controversiam movere possunt;præsertim si adijcias,Plinijque verba urgeas , quæ medio inter Helium & Flevum ore hunc modicum alveum describunt. Convenientius enim id Egmondæ , quàm Cattvico,si medietatem hanc exactè rimari libeat , tribui debere,quicunque rem & Chorographiam illius littoris diligentius introspiciat , haud invitus concedat. Nos tamen idipsum utpote rem longo ævò obliteratam & nullis authorum veterum testimonijs explicatam in medio relinquimus. Nunc ad reliqua veniamus.*

Caninefatum sedes definitæ.explicati Plinius & Tacitus,

Expo-

Expositis, præter cætera, quæ ad agrum nõ tã-tum & insulam, sed pro parte etiã, ad gẽtem Batavorũ controversa referuntur, sequitur ut ad Caninefates se vertat oratio. Hos Plinius Batavis non modo proximos, sed insulam quoq; seorsim, eamq; Batavis vicinam, colere facit, cum inquit: In Rheno ipso nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, *&c. At Tacitus partem eis insulæ Batavicæ tribuere videtur, præsertim lib. 4. hist. ubi causas recenset cur arma Civilis Batavus & ultionem in Romanos sumserit. Ita enim inter alia ibi loquitur:* Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute per Batavis, numero superantur *Hic ut Plinium cum Tacito concilieт Cluverus, ea verba,* nobilissima Batavorum insula & Caninefatum, *unam eandemque insulam interpretatur: ut ita totam eam Rheni Borealem ripam, quæ à Batavoduro* (**Wyck te Duerstedd** *hodie) Leydam usque porrigitur; & introrsus quoque, ubi nunc oppida sunt Gauda, Woorda, Culenburgum, hoc inquam totum spatium, Caninefatibus adscribit. Verum id quomodo admitti possit, cum hoc pacto agri Batavici præcipua propemodum portio & robur, quod ad Rheni medium alveum & portuum interiorum ac trajectionum oportunitatẽ Batavis eripiatur? Et neget Tacitus, qui partẽ quidẽ insulæ* Cani-

CAP. XII. 21.

Cluveri opinio posita & infirmata.

Caninefatibus concedit, sed numero, id est, viribus & potentia à Batavis superari addit: Deinde & mari, quo Batavi à fronte ambiuntur, proximos imo & accolas facit, cum eos classem Britannicam, quæ legioni Romanorum quartæ decimæ auxilio adversus Civilem venerat, aggressus dicat, majorumq; navium partem & depressisse & cæpisse: Ita enim exstat apud Tacitum : Circumsteterat Civilem & alius metus, ne quarta decima legio adjuncta Britannica classe, affligaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Classem ultro Caninefates aggressi sunt. majorque pars navium depressa aut capta. *Vbi disertè Oceani accolæ & viri etiam navales describuntur Caninefates. at secundum Cluveri finitionem, qui Durostato & Leyda eos circumscribit, ab Oceano in universum excluduntur. Et denique cum in societatem à Civili vocarentur, ut habent jā modò citata, Missi dicuntur, qui consilia sociarent: quod vocabuli et moram & spatium aliquod indicare videatur, cum esset in Batavia interiori Civilis: Vnde haud opus ejusmodi missione fuisset, si illis locis, id est, in ipso quodammodo insulæ gremio sedes habuissent.*

Sententia verior asserta.

Nobis itaque verior & firmior habetur opinio existimantium Caninefates ijs sedibus locatos, quas hodieque adhuc proximè ad Caninefatum appellationem accedentes Kennemarij tenent. Quorum antiquitus territorium cæpisse

ubi

ubi nunc Haerlemum, vel ex Rhythmico Chronico, annos ante trecentos concinnato, liquet. Hoc enim Haerlemum non Holladorum, sed Kinnemariorum facit; cum ait, **Haerlem in Kinnemerlandt**. *Et maximè id Taciti sententiæ respondebit, modò Rheni etiam alveus (cujus rei argumenta ex Haemrodio jam supra adduximus) eodem Kinnemariorum districtu circa Egmondā se in Oceanum exonerarit. Et quis aliàs jure neget certiora hæc esse, gentium scilicet, quas nominarunt veteres, vestigia ex hodierna & superstite earundem nomenclatura repetenda, cum adhuc Batavorum (ne longius eamus) in voce* **Betouw**: *Frisiorum & Frisiabonum in VVestfrisiis (nam cæteras Plinio nominatas sinus fere & mare Austrinum abolevit) nominis reliquiæ hæreant? Num autem exactè cis eum alveum, partem tantū insulæ, vel etiam ex ripa ulteriori aliquid Caninefates coluerint, quod videtur velle Haemrodius, qui ad Marsatios & Amstelandios extendit, dicere non habeo. Quamvis Tacitus ipsos etiam insulanos Batavos non insula tantum, sed ex ripa quoq;, quæ Mose Walia hodie, aliquid tenuisse dicat: ut idem de Caninefatibus si quis dixerit, absoni nihil allaturum magnopere videum.*

Sed urget iterum Cluverus, ut nimirum in totum hanc gentem intra Batavorum & Rheni medij cancellos compingat, urget inquam illa Plinij, uibus dicitur, in Rheno ipso nobilissima

ſuo haud incluſit. Quanto ergo rationi magis cõſentaneum Vahalim, quo & Iunius inclinat, potius interpretari præſertim cum & Vahalis in illis fluvÿ divergÿs omnium primus occurreat; atque inde Druſi foſſam ingrediens Rhenus; ac tertio deniq; atq; ultimo ordine medius, qui Melæ verbis ac deſcriptioni non cõpetit, utpote ſui (cum eodem Mela loquor) haud ſimilis, & ideo quoq; modicum nomini ſuo ſervare alveum Plinio indicatus: Plinio, inquam, qui Melæ propemodum ſynchronus fuit. Nam quod addis objectioni quaſi occurrere ſtudens, Cum Mela hæc ſcriberet, medium alveũm, qui Rheni nomen perpetuo tulit, nondũ per Civilem abactũ, lato alveo in Oceanum effluxiſſe, *verba ſunt, & non niſi commento illo abactionis innitẽtia. Verum id cum ante nobis ita confutatum ſit, ut non tantum commentum, ſed fucus etiam, ex Taciti præſertim verborum inverſione, jam appareat, illi ulterius immorari non convenit.*

Plinium & Ptolemæum recte Galliam Belgicã Flevo finiviſſe, contra quàm vult Cluverus, etiam ex Tacito indicatũ.

CAP. X. 17. T*Va verba Cluvere pag. 8. ad oram hæc poſita ſunt:* Plinius ac Ptolemæus omnes Rheni tricornis inſulas Belgicæ provinciæ tribuũt, at minus recte. *In textu autem ipſo iſta adfers:* Diſerte Plinius poſt memoratos Belgicæ Galliæ populos Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadem

pro-

provincia Gallica ait esse Batavos, imo quod majus est maximeq; in Iunij sentẽtiã pugnat, quos in insulis Rheni præcedẽti capite dixerat, Caninefates, Frisios, Marsatios in eandẽ provinciã cõfert. Cui consentire videtur Ptolemæus, tertiũ seu ultimum Rheni alveũ in Gallia Belgica recensens. Quod nos tamen ex Tacito alijsq; authoribus tẽperamus. *Hæc ita rotundo ore Cluverus: At mihi si loqui ad modũ et morẽ ejusdẽ Cluveri animus foret, nonne, quod ille in homines de republica literaria deq; geographia optimè meritos, idq; ĩmerenter passim audet, in eum hoc loco retorquere optimo jure occasio nunc esset? Nonne illis verbis, quibus Iunium alibi, aut Vertranium excipit pag. 48. quærens* qua frõte plus sibi fidei, quã Dioni antiquo scriptori haberi postulet, *hic in eum uti meritissimo liceret ac poscere, quâ fronte plus sibi fidei quam Plinio ac Ptolemæo, antiquis & classicis authoribus, haberi postulet. Sed inquit, ex Tacito & alijs authoribus illorum dicta & sensus tẽperamus ad medium Rhenum Belgicam restringentes. Quid? an tua Cluvere rogatione tantis scriptoribus fides constabit, ut quod rectũ aut non rectũ apud eos habeatur, sententiã pronuncies? Et ubi quæso hoc tu, quod dicis vel ex solo Tacito probare hucusq; potueris? Nã ex ijs quæ hactenus diximus, et porro dicemus, ne nominatum quidem uspiam, sed tacitum ubiq; Rhenum medium Tacito cõsta-*

 bit.

manis claſſibus navigatos, *accipiendū quaſi utroſque Friſios, tam majores quam minores, tranſrhenanos intelligendos cenſeat, idque aſpectu medij Rheni. Verum hoc quam à vero & Tacito alienum ſit, mox dicetur. Poſt hæc adducit, quibus Batavi inter Belgas haberi monſtrantur: At ea cum ejuſmodi ſint, quæ manifeſto haud arguant excludi, qui intra medium & extimum Rheni oſtium Flevum conſiſtunt, ſingula ad examen citare, ne longum fiat, ſuperſedendum putamus. Interea tamen vel unico argumento haud excludi intermedios conficimus, dum Caninefates ſocioſque non minus quam Batavos Galliarum portionem fatetur Civilis, Alpinum Montanū Trevirum talibus verbis alloquens hiſt. 5.* En ego præfectus unius cohortis & Caninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa Caſtrorum ſpatia excidimus. *Ecce Caninefates, & cum ÿs ejuſdem rebellionis ſocios (Nam & Civilis ſuum ſeorſim militem duxit) Marſatios puta ceteroſque extra medium Rhenum conſtitutos, Galliarum quoque portionem facit. Et quod amplius eſt Plinius, poſtquam enumeraſſet lib. 4. cap. 15. non Caninefates tantum, ſed & reliquos Rheni inſulanos, Batavis proximos, addit deinde aitq́; capite decimoſeptimo, eoſdem omnes Galliæ Belgicæ eſſe populos. Sunt enim hæc ejus verba:* Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia Belgica Nemetes, Tribochi,

Vangiores; hinc Vbij, colonia Agrippinensis, Gugerni, Batavi, & quos in insulis diximus Rheni. *Quo quid esse adversus Cluverum manifestius potest. Cui et addas licet Ptolemaeum, qui ultimum, id est, Borealē Rheni exitum, Flevum nimirum, similiter Galliae Belgicae terminū statuit: Et denique 4. Annal. & 4. hist. Tacitum,* hiberna *ibi &* Flevū castellū, *extrema quasi ab ea parte adversus Frisios imperij munimenta, agnoscentem.*

Cap. 9. Tab. Europ. 3.

At Cluverus, post habitis hoc loco, aut saltē silentio involutis, & ante quoque contētim rejectis tantorum authorum testimonijs, quo Galliam nihilominus atque imperium medio Rheno terminet, denuo ad Rhenum à Civili abactum cōfugit, imperatque in verbis Taciti, ubi dicitur, Rhenū in Galliā prono alveo ruentem disiectis, quae morabantur à Civili effusum, *intelligendum per* Galliae *vocē* Bataviam insulam. *Quod ego frigidissimum schema, & superius liquidissimè confutatum, ne affingere homini videar, verba ejus ipsissima citabo:* Quum igitur Lecca mediā fere secet insulam in manifesto est ipsam INSVLAM hîc GALLIAM appellasse Tacitum. *Sed, ohe jam satis est, ohe libelle.*

Vide supra Discep. 17.

Explicantur Taciti verba 4. histor. ubi Batavi Gallia excludi videntur, Cluveri callida medii Rheni inductio.

Sudat

SVdat Cluverus in explicando Tacito hist.4. cũ Batavos extrema Gallicæ ore vacua cultoribus, ſimulq; inſulam, inter vada ſitã occupaſſe dicat. *Itemq́ libro de Germania, ubi* Batavi *dicuntur, non multum ex ripa, ſed inſulam* Rheni amnis colore. *Sudat hic, inquam, cum videatur illis quaſi Galliæ termino excludere Batavos, quos tamen aliàs inter Gallos Belgasq́ libenter agnoſcit; & inter cetera, cum fateatur eodẽ hist.4. lib.* Batavo equite protritos Æduos Arvernoſque: fuiſſe inter Virginij auxilia Belgas, vereq; reputantibus Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe. *Et alibi denique eoſdẽ dicat ea loca deveniſſe, in quibus pars Romani imperij fierent. Quo ergo tollat difficultatem & pugnantia veluti conciliet, ait* Gallicã oram & Gallicã ripam *de continente Galliarum accipiendam: quæ autem ulteriora ſunt, eſſe non in continente, ſed in* inſula. *quæ non minus eſſe pars Galliæ poteſt, quàm Britannia Europæ, etiamſi extra continentẽ Europæ collocata. Cõcedamus. Sed interrogare interea Cluverum libet, quare ulteriora in inſula, nõ in inſulis dicat, cum præſertim nequaquam, ut aliqui, aſpectu Helij & Flevi, intermedium quidquid eſt, inſulæ uni adſcribat. Nam plures, non unam inſulam, ultra eã Galliæ continẽtis partem eſſe, & facies ipſa rerũ, & Plinius, varios hic populos et inſulas aduſque Flevum agnoſcens, liquido atteſtatur, nec ignorare Cluverus potuit Marſatios inſulanos admittẽs.*

CAPVT XI. & X.

Niſi

men quemadmodum non refellere, ita nec asseverare animus est; præsertim cum hodie infra statim Rhinoburgum stagnet is alveus, atque inde Oceanum versus, nulla vel levissima exstent alvei ullius vestigia. Accedit, quod Haemrodius qui, præter Helium & Flevum, duo extima Rheni ostia, quatuor insuper interna vetere hûc & medium alveũ cum aliis duobus versus Boreã nominans agnoscat; memoretq; anno octogentesimo & sexagesimo, aut circiter, exorta ingenti tempestate Oceanoq; ventis intumescente, veterem eum Cattvicensem retrorsus actum ac Leccæ rivum ingressum, exinde obstructum mansisse, Lecca e contra aquis liberaliter exausto. Quod ipsum licet Lamberto quoque Hortensio, nec non & Iunio deinde, relatum meminerim, tamen laborare narrationis fidem existimo potius duces, quod & alibi nobis traditum, Drusi primum, atque inde Corbulonis fossæ intermediorum præcipuè alveorum mutationes imputandas. Sed Haerodius illis, quæ dixi, positis, Plinij medium alveum in agros Egmondanos abducit, ibi inquiens modicum illum alveum, Plinio memoratum, vel nomine id hodieq; indicante, fluxisse; cum & hodieque nostratibus Engmondt *arctatum seu modicum os atque alveum denotet. Et hoc etiãsi frivolum quis dicat, præsertim cum etiam* medium, *mediocre interpretetur, ut & notatum jam ante nobis in Amstelodamensibus, tamen verum interea est, illa circiter, ut plurimum, loca ap-*

Haemrod. pag. 9.

ea appulisse Normannicas classes; quod sine portu aut ostij saltem vestigijs fieri quomodo potuit? ut tale quid exstitisse eo tractu verisimile videatur. Et accedunt testimonij vice Rheni juxta Egmondam alvei quædam reliquiæ; Berghem præsertim eo loci villa, quæ hodieque nomen retinet, et olim ab occidente Rheni in literis donationum Arnulphi, Theodorici filij, tertij Comitis Hollādiæ, qui obijt anno DCCCC.LXXXVIII. posita reperiatur. Ita enim ibi legere est: in villa Berghem ab occidente Rheni posita, quatuor mansus. *Quæ sanè ejusmodi sunt, quæ Rheno medio, quem fere omnes juxta Cattvicum & arcem Brittenburgicam, ut indicavimus, defluxisse in mare volunt, status controversiam movere possunt; præsertim si adjicias, Plinijque verba urgeas, quæ medio inter Helium & Flevum ore hunc modicum alveum describunt. Convenientius enim id Egmondæ, quàm Cattvico, si medietatem hanc exactè rimari libeat, tribui debere, quicunque rem & Chorographiam illius littoris diligentius introspiciat, haud invitus concedat. Nos tamen idipsum utpote rem longo ævo obliteratam & nullis authorum veterum testimonijs explicatam in medio relinquimus. Nunc ad reliqua veniamus.*

Caninefatum sedes definitæ. explicati Plinius & Tacitus,

Expo-

EXpositis, præter cætera, quæ ad agrum nō tātum & insulam, sed pro parte etiā, ad gētem Batavorū controversa referuntur, sequitur ut ad Caninefates se vertat oratio. Hos Plinius Batavis non modo proximos, sed insulam quoq; seorsim, eamq; Batavis vicinam, colere facit, cum inquit: In Rheno ipso nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, &c. At Tacitus partem eis insulæ Batavicæ tribuere videtur, præsertim lib. 4. hist. ubi causas recenset cur arma Civilis Batavus & ultionem in Romanos sumserit. Ita enim inter alia ibi loquitur: Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute per Batavis, numero superantur Hic ut Plinium cum Tacito conciliet Cluverus, ea verba, nobilissima Batavorum insula & Caninefatum, unam eandemque insulam interpretatur: ut ita totam eam Rheni Borealem ripam, quæ à Batavoduro (Wyck te Duerstede hodie) Leydam usque porrigitur; & introrsus quoque, ubi nunc oppida sunt Gauda, Woorda, Culenburgum, hoc inquam totum spatium, Caninefatibus adscribit. Verum id quomodo admitti possit, cum hoc pacto agri Batavici præcipua propemodum portio & robur, quod ad Rheni medium alveum & portuum interiorum ac trajectionum oportunitatē Batavis eripiatur? Et neget Tacitus, qui partē quidē insulæ Cani-

CAP. XII. 21.

Cluveri opinio posita & infirmata.

ubi nunc Haerlemum, vel ex Rhythmico Chronico, annos ante trecentos concinnato, liquet. Hoc enim Haerlemum non Holládorum, sed Kinnemariorum facit, cum ait, **Haerlem in Kinnemerlandt.** *Et maximè id Taciti sententiæ respondebit, modò Rheni etiam alveus (cujus rei argumenta ex Haemrodio jam supra adduximus) eodem Kinnemariorum districtu circa Egmondã se in Oceanum exonerarit. Et quis aliàs jure neget certiora hæc esse, gentium scilicet, quas nominarunt veteres, vestigia ex hodierna & superstite earundem nomenclatura repetenda, cum adhuc Batavorum (ne longius eamus) in voce* **Betouw**: *Frisiorum & Frisiabonum in VVestfrisiis (nam cæteras Plinio nominatas sinus fere & mare Austrinum abolevit) nominis reliquiæ hæreant? Num autem exactè cis eum alveum, partem tantũ insulæ, vel etiam ex ripa ulteriori aliquid Caninefates coluerint, quod videtur velle Haemrodius, qui ad Marsatios & Amstelandios extendit, dicere non habeo. Quamvis Tacitus ipsos etiam insulanos Batavos non insula tantum, sed ex ripa quoq́, quæ Mose Walia hodie, aliquid tenuisse dicat: ut idem de Caninefatibus si quis dixerit, absoni nihil allaturum magnopere videam.*

Sed urget iterum Cluverus, ut nimirum in totum hanc gentem intra Batavorum & Rheni medij cancellos compingat, urget inquam illa Plinij, quibus dicitur, in Rheno ipso nobilissima

E Bata-

Batavorũ insula & Caninefatũ,&c. *Nam ait*: si Caninefatum insula alia esset ab insula Batavorũ, quare Plinius has voces *& alia* ante Caninefatũ nomen haud posuit? certe aut eandẽ Caninefates cum Batavis insulã coluisse concedant, aut Pliniũ malũ Grammaticum fuisse arguant. *hactenus Cluverus. Quibus neutrum quod vult evincitur Nã ideo Plinius ambigua phrasi usus* nobilissimã Batavorum insulam & Caninefatum *dixisse videtur, ut ostenderet, primo, contiguas cum Batavis Caninefates sedes habuisse, id est, quẽadmodum innuimus, partẽ eorum intra, partem extra insulæ fines coluisse. Deinde utramque hanc gentem inter omnes Rheni insulanos fuisse quàm celebratissimam. At si posterius hoc; inquit iterum Cluverus, numero plurali* nobilissimæ insulæ, *usum Plinium oportuit. Sed eo locutionis genere hominem Romanum & dicendi peritum quia usum non videmus, ideo hanc præcipue placuisse certum esto. Et ut ipso Plinio, quẽ adeò ad suum sensum anxie interpretari conatur, Cluvero obviemus, nonne diserte cũ ait lib. 4. cap. 17.* Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadẽ provincia Nemetes, Triboci, Vãgiones; hinc Vbij, Colonia Agrippinẽsis, Gugerni, Batavi, & quos in insulis diximus Rheni, *nonne in quã positis Batavis, & addito*, & quos in insulis diximus Rheni, *cæteros, ut Caninefates reliquosque secundum Batavos*

tavos nominatos, ſicuti diverſos populos, ita & rivulis aut limitibus diſtinctos ſe intellexiſſe ſatis indicatum voluit?

Iam ad Iunium quod attinet cui Stellam Hiſpanum præfert, qui cenſuerit idem quod Cluverus Caninefates nimirum in eadem Batavorum inſula intra Rhenum medium & Vahalim poſitos; ſciendum egregie Iunium Stellæ ſatisfeciſſe, modò illud, de quo ſupra egimus, pro indulto illi concedamus, latè nimirũ Batavorum apud Tacitũ nomen interpretandũ, præſertim cum medij Rheni, ut vult, nuſpiam meminerit. Quapropter ita Stellæ reſpondet Iunius, ut impoſuiſſe viro docto ac fraudẽ feciſſe dicat, quod non animadverterit aliter inſulam conſtitui aſpectu Flevi ac Moſæ, aliter item circuitu medij oſtij & Vahalis. Cujus ſententiæ etiã ante Iunium fuiſſe Corneliũ Haërodium hæc ejus verba declarant: Quod Tacitus Caninefates eandẽ inhabitare prodit inſulam minime mirum, cum tãtum duorũ extremorum Rheni brachiorũ meminit, Vahalis cum Moſa miſti, & Rheni inter utramq; Frifiã per Flevum delabẽtis. internos vero amnes & oſtia aut ſiluit aut duo ſtatuiſſe illi ſuffecit. *Quibus accedit, quem unum Cluverus fatetur Batavorũ agros recte deſignaſſe, Gerhardus Noviomagus: qui in Epiſtola quadam ad Th. Segerum teſtatur nõ abludere à vero & gentis vocabulo Kennemarios hodiernos eſſe Caninefates.*

Pro Iunio aliquid additum.

Caninefatum ex Kennemarijs flexionis ratio notatioque.

Et ut ipsam quoque vocem propius rimemur, ait in manuscriptis reperisse se Haemrodius, Kēnefars & Kennevers / *ut plurimum exaratum. Quod & convenit cum Danorum Cimbrorumque idiomate, qui hodieque Zelandos & Hallandos suos,* Zelandsfars eñ Hallansfars *populariter cognominant: ut constet facilem & obvium Romanis à* Kennefars *in* Caninefates *deflexum fuisse. Dictos autem ita ab ipso solo aut rivo, qui in eo fluit, non absimile veri habeo; atque inde esse quod Chronologi ævi inferioris Caninefatum territorium fere* Kinheim *appellitare consueverint, ut Regino qui ad annū* 804. *hæc habet:* Eodem anno Normanni in Kinheim è Danemarcha venerant, &c. *Iunij conjectura à cuniculorum captura Etymon venantis, ut minus seria, ita ingenij magis lusus est, quàm solida aliqua aut certa demonstratio. Hæc sanè taliaque attigisse etiam Cluveri partes fuerant, & ostendisse si Caninefates Kennemarij non fuerint, quibusnam ergo in Rheni insulis Plinio enumeratis gentibus accensendi essent Kennemarij. At hæc ne tentat quidem.*

Postremo Caninefates non ævo tantum illo veteri Batavorum, sed etiam sequentibus seculis sub nomine quod dixi Kennemariorum, sociam semper Hollandorum gentem fuisse; inque ijs robur & præsidium præcipuum collocasse eosdem Hollandos acta Comitum loquuntur, ut merito etiam Tacitus Caninefates suos virtute Batavis pares celebrarit.

Imagi-

Imaginaria Cluveri interpretatio verborum Taciti de Frisijs transrhenano populo & Caninefatibus, clarè ob oculos posita.

EOdem porro Capite ad suum sensum interpretaturus Tacitum ait Cluverus, quarto histor. ubi Brinio Caninefas omnesq; Caninefates ad arma adversus Romanos per Civilem pulsi accitique ab ijsdem memorantur Frisii transrhenana gens, transrhenanam eo loci gentem in genere Frisios esse, quasi proximè ad medium Rhenum imperij terminum sitos; omniaque quæ ibidem adversus cohortes Romanorum à Frisiis & Caninefatibus gesta recitantur, in alveo medij Rheni, & intra Caninefatum & Batavorum territoria peracta. Quæ si accuratius examinemus, quid magis cum ipso Tacito è diametro pugnet? Ita enim ille citato loco: Statimque accitis Frisijs (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna proximo occupato Oceano irrumpit. *Irrumpit, inquit, nimirum Brinio Caninefas à Caninefatibus dux electus. Quo autem irrumpit? hiberna scilicet, quæ Oceanum circiter & Flevum erant; ubi & limes imperij, non, ut ante monstravimus, circa medium Rhenum. Et ibi insuper* Castellum Flevum *Frisiis oppositum, ut habet idem Tacitus Annal. 4.* & haud spernenda civium sociorumq; manus littora Oceani præsidebat. *Hic ergo à* Ibidem 22.

Brinione & Frisiis, quos in societatem Caninefates advocaverant, capta ac direpta castra lixæque & negotiatores Romani invasi: & cum excidijs etiam castellorum imminerent, à præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant: Qui & signa deinde vexillaq́, & quod militum erat, ut loquitur Tacitus, navibus per lacus puta & Rheni extimum brachium, nunc Isalam, in superiorem insulæ Batavicæ partem, utpote primo appulsu, circa Lobecum nimirum & ubi se amnis dividit, deducunt classemq́ appellunt. Quod per arctatum medij Rheni alveum, Plinio modicū & Tacito vix quidem nominatum (nā de abactione quod inijcit hic iterū Cluverus, somniū esse supra ostendimus) perq́ ipsorū Caninefatum territoriū, ut id à Leyda ad Durostatū usq́ describit idē Cluverus, quomodo fieri potuit? Nā proximus, quē dicit Tacitus, occupatus Oceanus, secūdū Cluveri chorographiā supra traditā, necessario non juxta Caninefates, quos ab Oceano seclusit; sed juxta Batavos extiterit infra scil. Lugdunū Batavorū, mare versus. At hinc si pulsi Romani, ut superiorē insulæ partē repeterēt, quomodo inquā secundū eandē chorographiā, per Caninefatū ditionē & mediū illum Rheni alveolum, ad naves & classē, cujus in hac narratione meminit Tacitus, inidoneum, cōmeare vel potuēre vel ausi fuerint? Nā concedamus potuisse & latum alveum fuisse, cuinam persuadebit tamen Caninefates, qui se jam hostes declaraverant, id permissuros fuisse?

*fuiſſe ? Quapropter vanã & imaginariã eſſe eã omnẽ verborum Taciti interpretationem Cluverianam hinc liquere exiſtimo:nihilq́; certius quã fuiſſe Caninefates,quomodo hodieq; Kinnemerlandi,verſus Boreã porrectiores, ut indicavimus Friſiis nimirũRheni inſulanis ſeu minoribus proximos. Et deniq; in iiſdẽ verbis Taciti eam eſſe Friſiorũ tranſrhenanorũ gentẽ,quæ ſolumGermaniæ continentis incolens & à Rheno,ubi,ut Plinius loquitur,in lacus ſe ſpargit ; vel, ut Mela, ubi cãpos implet ſeclusa,ad Amiſiam uſq; pertingit, quis ambigat amplius ? Quo tamen omnis adhuc hæſitandi auferatur ſcrupulus iterũ Tacitus Annal.4. ut clarè conſtaret, quinam illi Friſii eſſent tranſrhenanus populus,eoſdẽ ita deſcribit, ut & loca & ſedes,quas coluerint, diſertis verbis adiiciat. Sic enim ibi loquitur : Eodem anno Friſii, tranſrhenanus populus(in quarto hiſtor. ut ſupra patuit,eſt tranſrhenana gens)pacem exuère, noſtra magis avaritia,*quàm obſequii impatientes. Tributum iis Druſus iuſſerat modicum,&c. *Et ſtatim :* Rapti qui tributo aderant milites & patibulo affixi. Olennius infenſos fuga *(ex continenti nimirum)* prævenit , receptuſque caſtello, cui nomen Flevum, & haud ſpernenda illic civium ſociorumque manus littora Oceani præſidebat. *Et ſtatim , ubi addit ibidem ſuppetias accurriſſe Apronium Friſiisque obviam iiſſe,loca in ſolo eorum* Baduhennã lucum

Annal.4.

Hiſtor.4.

Brinione & Frisiis, quos in societatem Caninefates advocaverant, capta ac direpta castra lixæque & negotiatores Romani invasi: & cum excidijs etiam castellorum imminerent, à præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant: Qui & signa deinde vexillaq; & quod militum erat, ut loquitur Tacitus, navibus per lacus puta & Rheni extimum brachium, nunc Isalam, in superiorem insulæ Batavicæ partem, utpote primo appulsu, circa Lobecum nimirum & ubi se amnis dividit, deducunt classemq; appellunt. Quod per arctatum medij Rheni alveum, Plinio modicũ & Tacito vix quidem nominatum (nã de abactione quod inijcit hic iterũ Cluverus, somniũ esse supra ostendimus) perq; ipsorũ Caninefatum territoriũ, ut id à Leyda adDurostatũ usq; describit idẽ Cluverus, quomodo fieri potuit? Nã proximus, quẽ dicit Tacitus, occupatusOceanus, secũdũCluveri chorographiã supra traditã, necessario non juxta Caninefates, quos abOceano seclusit; sed juxta Batavos exstiterit infra scil. LugdunũBatavorũ, mare versus. At hinc si pulsi Romani, ut superiorẽ insulæ partẽ repeterẽt, quomodo inquã secundũ eandẽ chorographiã, per Caninefatũ ditionẽ & mediũ illum Rheni alveolum, ad naves & classẽ, cujus in hac narratione meminit Tacitus, inidoneum, cõmeare vel potuêre vel ausi fuerint? Nã concedamus potuisse & latum alveum fuisse, cuinam persuadebit tamen Caninefates, qui se jam hostes declaraverant, id permissuros fuisse?

fuisse? Quapropter vanã & imaginariã esse eã omnẽ verborum Taciti interpretationem Cluverianam hinc liquere existimo: nihilq; certius quã fuisse Caninefates, quomodo hodieq; Kinnemerlandi, versus Boreã porrectiores, ut indicavimus Frisiis nimirũ Rheni insulanis seu minoribus proximos. Et deniq; in iisdẽ verbis Taciti eam esse Frisiorũ transrhenanorũ gentẽ, quæ solum Germaniæ continentis incolens & à Rheno, ubi, ut Plinius loquitur, in lacus se spargit; vel, ut Mela, ubi cãpos implet seclusa, ad Amisiam usq; pertingit, quis ambigat amplius? Quo tamen omnis adhuc hæsitandi auferatur scrupulus iterũ Tacitus Annal. 4. ut clarè constaret, quinam illi Frisii essent transrhenanus populus, eosdẽ ita describit, ut & loca & sedes, quas coluerint, disertis verbis adjiciat. Sic enim ibi loquitur: Eodem anno Frisii, transrhenanus populus (in quarto histor. ut supra patuit, est transrhenana gens) pacem exuere, nostra magis avaritia, quàm obsequii impatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum, &c. *Et statim:* Rapti qui tributo aderant milites & patibulo affixi. Olennius infensos fuga *(ex continenti nimirum)* prævenit, receptusque castello, cui nomen Flevum, & haud spernenda illic civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat. *Et statim, ubi addit ibidem suppetias accurrisse Apronium Frisiisque obviam iisse, loca in solo eorum* Baduhennã lucum

Annal. 4.

Histor. 4.

 & vil-

& villam Cruptoricis *designat* , *ubi clades Romano ab ijsdem Frisiis allata. Ita enim ait: Mox compertum à transfugis nongentos Romanorum, apud lucum, quem Baduhenne vocāt, pugna in posterum extracta confectos: & aliam quadragentorum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarij villa, mutuis ictibus procubuisse. Quibus in verbis* Baduhennæ lucū *intelligendum eo Frisiæ tractu , ubi nunc silva vulgari nomine* **Sevenwolden** *& in proximo stetisse Cruptoricis villam , ne ipse quidem, qui adversarium se facit, Cluverus negare audebit. Quapropter verba illa Taciti Annal. 4.* Transrhenanus populus , *si de Frisiis continentis Germaniæ , quod fateri omnes debebunt, capienda sunt, quis neget eadem illa Taciti quarto historiarum,* transrhenana gens, *de ijsdem intelligenda, nisi qui Tacitum nugari & sibi ipsi manifesto contraria utrobique loqui, id est, insulanos Rheni Frisios cum transrhenanis confundere, demonstratum velit? Et quo magis magisque Cluveri fucus appareat studio quodam ab eo factum haud dubio est, ut locum hunc Taciti 4. hist. de Frisiis* transrhenana gēte, *absq; illo ejusdē Taciti Annal. 4. de Frisiis* transrhenano populo *interpretandum sumserit , eumque ut sibi haud æquū silētio prætermiserit.* Rhenus *igitur* in lacus se spargens , *ut loqui Plinium diximus: vel, ut Melam ,* campos implens *transrhenanos hos Taciti Frisios , eosdēque majores; et*

ex ad-

ex adverſo, in Rheni nimirum inſulis, & intra imperij ac hibernorum Romanorum, quæ juxta Flevum ab ea parte fuiſſe jam oſtendimus, complexum, minores conſtituit ac diſpeſcit, non ille falſò & præter rem adductus medij Rheni alveus. Sed occurrit Cluverus & iterum iterumque negat Tacito Rhenum, quà Iſalam ingreditur, Rhenum appellatum. Quo ergo & hac parte Cluvero ſatisfiat, cum Melam, Plinium, Ptolemæum, qui diſertè, ut jam poſuimus, Rhenum intelligunt nominantq́ue, haud audire velle videatur, etiam ex Tacito, quamvis & antea nonnihil allatum ſit, liquido id ipſum ſuo mox loco commonſtrabimus.

Plinianorum verborum reſcriptio Cluveriana, non Plinio modò, ſed ſibi ipſi adverſa. Friſij maiores minoreſque quomodo prætexi Rheno intellecti Tacito. Friſii in Rheno & trans Rhenum Plinii.

SEquuntur deinceps octo Capita de Batavorum oppidis, caſtellis, vicis, eorundemq́ue origine, militia alijſque rebus ad rē magis quam ad Chorographiam ſpectantia. Nos tamen de illis quoq́ue, quia hanc ingreſſi ſemitam ſumus, quid ſentiamus, ſi quid præſertim dignum occurret, poſtea et veluti Colophonis loco dicemus. Nunc cæptam gentium & locorum chorographiam pertexere eſt animus. CAP. XXI. 23.

Ait ergo Cluverus illa Taciti: Majoribus mino- Lib. de Morib. German.

minoribusque Frisijs vocabulum est ex modo virium: utræq; nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur; ambiũtque immensos insuper lacus & Romanis classibus navigatos, *Hadrianũ Iunium haud rectè interpretatum; præsertim quia illud,* Rheno prætexuntur, *ad Isalam & lacus retulerit, quum Tacitus Isalam Rheni nomine nũquam affecerit: nec rectè vis verbi* prætexere *utriq; fluminis ripæ applicetur. Vult itaq; eadem ita interpretanda, ut utræq; nationes ad medium Rhenũ referantur eiq; prætexi dicantur. quapropter & illa Plinij,* In Rheno ipso prope C. M. pass. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum, & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum. ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, &c. *ita rescribit, ut omissis* Frisiabonum, Chaucorum, Sturiorumque *spurijs, ut vult, vocabulis, licet reclamantibus tam scriptis quam excusis exemplaribus, eorum vicem*, Frisiorum majorum, Frisiorum minorum Marsatiorumque, &c. *reponi postulet. Legit enim:* In Rheno ipso C. prope M. passuum in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum, & aliæ Frisiorum majorum,

Lib.4.cap. 15.

rum, Frisiorum minorum Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum, &c. *Nec animadvertit, hoc si admittatur, manifesto se Plinio ac Tacito, imo & sibi contraria loqui; qui ipse in Chorographica sua tabella non omnes Frisios majores, sicuti minores, intra Rheni seu Flevi Boreale ostium; sed extra etiam potiores colere facit, in solo nimirum continentis Germaniæ, ad Amisiam usque. Quomodo ergo intra Helium Flevumque, ut habet diserte Plinius, in Rheno cum cæteris quos nominat, populis sterni dicentur. Quin & Frisii tam majores, quam minores, si intra Rheni ostiorum complexum in universum omnes collocentur, jam non Flevus, ut Plinius aliique omnes definiunt, sed circa Amisiam Rheni Boreale statuendum ostium, cum eo usque non olim modò, sed & hodieque pertingant Frisii, qui in insulis Rheni non agnoscuntur, & ideo transrhenani appellati intellectique Tacito, ut modo ostendi, & ipsi Plinio, cui* trans Rhenum *colere dicti aspectu eorum, quos in* Rheno *posuit. Inquit enim:* In Germania TRANS RHENUM castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis quâ pota dētes decidunt & reperta auxilio est herba, quæ vocatur Britannica, &c. Frisij, qua castra erant nostri demōstravere illā. *Ibi.n.* Frisios trāſ Rhenū Lib. 25. cap. 3.

sive

sive transrhenanos *constitui infra scissionem amnis, non à Rheno medio, sed à tertio alveo seu Isala initium faciendo liquet primo ex ipso Plinio, qui Isalam disertè Rhenum nominat, cum, ut ante posuimus, à Septentrione in lacus spargi eum dicat, deinde ex Tacito, qui castra Germanici apud Frisios ultra hunc tertium Rheni alveum Borealem in finibus continentis Germaniæ collocat expeditiones ejusdem in Cheruscos enarrans. de quo mox. Atq; ita duplices Plinio Frisii,* in Rheno *nimirum, insulani, de quibus loco superius citato, Capite inquam decimo quinto libri 4: &* trans Rhenum *sivè* trāsrhenani *in continente Germania, ubi castra fuisse indicavimus Cæsaris Germanici.*

Nec præterea aliter Tacitus majores minoresq; hoc loco eosdem Frisios appellavit, utpote Flevo & Rheni in lacus se spargentis alveo, ipsisque lacubus inter se & viribus ac potentia quoq; divisos: quomodo & Chaucos majores minoresq; Visurgi āni distinxit Ptolemæus. Et facit huc etiam quod omnis exinde ætas ad hæc usque tempora haud aliter distinctos agnoverit cum hos occiduos seu Westfrisios, illos verò orientales, sive Oostvriesen *nominarit. quamvis fuerunt etjam tempora authoresq; ævi inferioris, qui Frisium nomen latius atque indistinctius, etiam ultra hos terminos, acceperint usurparintque. Sed ea alius nō hujus loci, nec temporum sunt, de quibus agimus.*

Quæ

Quæ cum ita habeant, haud satis Cluverus Gerhardi Noviomagi, quem tamen unicum inter Chorographiæ Batavicæ authores miratur, ut & supra injecimus, & sæpius per occasionem dicendum est, haud satis, inquam, meminisse illius videtur, utpote qui singulari cura cautum voluit, ne quis Plinÿ hasce gentes enarraturus, Flevum aut Helium transcenderet, sed intra eorum septa easdem finiret. Ita enim ait: Qui autem sint Chauci & cæteri, qui à Plinio nominantur, qui inquirere volet, hoc observet, ne aut Flevum aut Helium transgrediatur.

At si occurrere jam difficultati Plinianæ illius rescriptionis author & defensor Cluverus studeat, dicatque majorum Frisiorum partem intra Flevum, Rhenanum ostium, contineri, partem ultra, repugnabit hoc, ut alia nunc omittam, primò correctioni ipsi, quæ majores minoresque sine exceptione intra Flevum Heliumque sterni asserit; tum & Plinÿ verbis, qui Frisios, *quos hic intelligi vult*, in Rheno, *omnes, ut sæpe jam dictum, constitui intra eadem Rheni ostia discrete expressit. Ita enim verba habent, ut in statum ac possessionem suam reducantur:* In Rheno ipso C. prope M. P. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum; & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum; ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus, &c. *Iam*

Iam quod attinet ad Isalam, quem negat ulli-bi Rhenum intellectum aut nominatum Tacito, mox videbimus. Prætexendi vero vocabulum, quod utriq; fluminis ripæ minus accommodari posse asserat quomodo probet, præsertim hoc loco, ubi de binis & discretis Frisiorum gentibus Tacitus agit? Ait enim utrosq; Frisios majores minoresq; *ad Oceanum usq; Rheno prætexi,* ad Oceanum *scilicet, ne interiora & medium, ut Cluverus, Rhenũ cogitemus. Et adjicit continuo,* ambire lacus, *quo intelligi similiter possit, occiduum hos, illos Borealem Oceanum spectantes veluti in circuitu lacuũ, quos dixi, Rheno, nunc Isalam dicimus, hinc atq; illinc prætexi.*

Lacus, quos ambisse Frisios memorat Tacitus, tantum de iis accipiendos, qui ab Isala Boream versus Flevum & illum tractum perfundunt.

Ibidem. 24. P*Orro ijsdem Taciti superius citatis verbis, ubi dicitur,* ambisse Frisios immensos lacus & Romanis classibus navigatos, *ita vocem lacus eo loci interpretatur Cluverus, ut quidquid est, ubi se dilatat Isala, lacuum, nõ Flevum modo & Boream sed Austrum etiam versus, puta interior ille, qui Amstelodamum, & alij sinus, qui Harlemum, Alcmariam, Purmerendam & Bevervicum perfundunt, eodem trahat: Quo ita scilicet, Frisios suos ambire, ut loquitur Tacitus, immensos lacus obtineret, & simul*

ad me-

ad medium usque Rhenum obtorto collo eosdem traduceret. Nam si lacus *in verbis Taciti & Plinij, de extima tantum illa versus Flevum Austrini maris portione, uti oportuit, intellexisset, ad medium Rheni alveum deduci Frisios nequaquam potuisse facile prævidebat. Eos tamen intelligendos esse, ut pateat, notanda præcipue Plinij verba, qui ait Rhenum, qui nunc Isala vulgo,* in lacus se spargere à septentrione. A septentrione *videlicet; non à meridie, ut constet hoc mare postmodum maximam partem enatum & incrementum cepisse. Deinde Mela eundem alveum primo angustum & sui similem fuisse dicit & post ripis longe lateque recedentibus jam non amnem, sed ingentem lacum, & ubi campos implevisset, Flevum dictum. Quæ ad sinum interiorem, quomodo applicentur, ubi Flevus nullus? Et deniq; Tacitus Frisios ambire immensos lacus Romanis classibus navigatos ait: at quosnam lacus navigare Drusus & Germanicus potuerint, Amisiam per Isalam petituri, nisi hunc maris Austrini sinum extimum & Borealem? Vt nihil sit evidentius aut certius quam lacus eos in Taciti, Melæ ac Plinij verbis ab Isalæ, Boream non meridiem versus, excursu accipiendos. De classibus vero Romanorum, quas navigasse hos lacus, præter Drusianam, Tacitus innuit, suo mox loco.*

Hollan-

Hollandiæ lacus,&sinum præsertim Austrinum interiorem post ævum Romanorum maxima sui parte enatum, Chronologorum testimoniis obiter ostensum,&c.

Demonstrasse nos satis superque existimo vocem lacus *in Melæ, Plinij & Taciti præsertim verbis, haud ulterius quàm ad Borealem Austrini maris sinum referendam; ideoque nec Frisios, quos majores minoresque ambire eosdem lacus idem Tacitus dicit, haud alio nec ulteriori, quàm illo circuitu, terminandos. Quod licet sufficere possit ad ostendendum, nihil magis absonum, & à Tacito alienius, quam circa omnes, qui hodie versus interiorem illum Hollandiæ tractũ conspiciuntur, lacus & maria circumducere velle Frisios; quò ita scilicet ad medium usque Rhenum ijdem traducantur: Tamen, ut omnis porro conatus ejuscemodi vel cogitatio etiam penitus concidat, hoc insuper addam ac demonstratum dabo, interiores illos & præsertim Austrinum illum sinum, quà interius vergit, quemque eadem planè, qua nunc conspicitur, capacitate, Cluveri veteris Bataviæ, & Rheni pinax exhibet, Taciti & Romanorum ævo in rerum natura tales non exstitisse, sed multo post potissima sui parte exortos; quod & obiter jam ante innuimus. Sane Haemrodius cum ait' sexcentis ante ætatem suam amnis interiorem Austrini maris sinum paulatim ex pascuis & paludibus in tantum mare conversum,*

Ibidem. 25.

Pag. 21. in Descript. Batav.

ſum, *extra dubium eſt certos authores ſecutum eum id tradidiſſe; Nã & Anonymus, cujus fragmentum Haemrodio ſubjecimus, diſerte indicat anguſtum admodum exſtitiſſe ſua tempeſtate, id eſt, ante annos circiter centum, illum Auſtrini maris tractum, qui intra Haerlemum & Amſterodamum nunc patet: ipſumq́ Amſtelodamum, Guielmi demum quarti ævo, anno nimirũ* 1342. *augeri ac celebrari cæpiſſe*, cum mare hoc meridionale, quod tum, *ut verba ejus habent*, exiguum erat, quotidie corroſis littoribus excreſceret. *Quibus accedit quod etiam Albertus Abbas Stadenſis, ſatis manifeſto in itinerario, quod Chronico ſuo interſerit, innuit interius hoc mare, anno* 1152. *Mudâ, non Amſtelodamo, aduſq́ Staveram navigari ſolitum; ubi tum, ſicuti hodie Amſtelodami, eorum navigiorum, quæ in mare Boreale abitura Norwegiam, Daniam, Boruſsiam & illa loca petebant, ſtatio eſſet. Quæ exinde ſors Camporum emporio obtigit, & quantum colligere licet, annum circiter* 1300. *mercium Borealium & oneariarum appulſus ibi haud infrequens fuerit. Hinc ad interiora & Amſtelodamum itum, excreſcentibus indies & in latum ſe explicantibus Auſtrini ſinus littoribus, ut ex Anonymo indicavimus. Et ut ad propiora veniamus, quis ignorat aut fando non accepit majorum ſæpenumero & patrum querimonias latifundia ſibi integra maris hujus eluvionibus circa Iſalam præ-*

*sertim ablata & erosis aggeribus in mare cōversa pascua quiritantium? Et hodieq; infidum hoc undiq; littus esse incrementumque quotidie, devoratis et absumptis munimentis, accipere. Narrat Iunius Hornæ oppido & portui oppositam stetisse olim insulam cum pago, cui Dampta nomen erat, quæ in illo sinu vim & impetum maris ab Africo urbi imminentem excipiebat, avertebatque: Et addit pagi ejusdem reliquias, utensilia, lebetes & ahena gravis ponderis se puerum meminisse in turbulenta quadam tempestate, quæ marinas undas difflarat, calcabili tum maris fundo, in oppidum à nonnullis fuisse comportata. Ne dicam, quod hominum ætate paulo provectiorum relatione obvium et pervulgatum habetur, Vrichæ insulæ (*Vrck *hodie dicitur) intra paucorum annorum spatium haud exiguam latifundiorum portionem marina eluvione ablatam; adeò ut templi ædificium, quod annis abhinc quadraginta, & quod excurrit, haud procul à littore suo in solo adhuc integrum spectabatur, nunc rudera tantum maris subinde undis exstantia ostentet.*

Et porro de interioribus plerisque minorum Frisiorum sive Westfrisiæ atque Hollandiæ lacubus nonne idem demōstrari possit? Haemrodius, quem modò nominavi, præter cætera, de Haerlemensi hæc habet: Hujus tam immensi & voracis lacus ante centum & octoginta annos vix ullum exstitit vestigium. *In Frisiabonibus etiam, hodie VVaterlandos dicimus, Bame-*

Bamestram fluvij tantum appellatione archiva Egmondensis monasterij afficere testatur nobilissimus Dousa Nordvici olim dominus, cum nostro hucusq; seculo spatiosissimi lacus speciem exhibuerit. quamvis nunc vicissim singulari nonnullorum mercatorum Amstelodamensium industria maximoq; impendio in pascua & prata lætissima commutatum tam ingens æquor videamus. Exstat denique Hornense Chronicon idiomate vernaculo; opera Theodori Velij, amici nostri, annis superioribus evulgatum; in quo præter alia, hoc notatu dignum puto, quod Frisiabones & Frisiam minorem, nunc VVestfrisia aut Northollandia est, aggeribus demum, anno 1288. *cingi cœptam commemoret. Antea quidem aggeratam fatetur; sed leviori opera & molibus humilioribus, quæque ordinarium vix æstum excluderent. Eamque & causam facit non tãtum Austrini sinus in tantum mare conversi, sed interiorum quoque lacuum, & quod tota sæpenumero prædia ac villæ cum pagis inundationibus ibi perierint. Verba ipsa formalia & vernacula authoris ista sunt:* Oock wert doen (onder de Grave *Floris* de vijfte int jaer 1288.) het landt eerst bedijckt in dier voegen als het teghenwoordich is: eñ werden met een veel nieuwe heerweghen daer door ghelept / om te lichter van d'eene Cogghe in d'andere te moeghen reijsen: daer te voeren deese om de vreem- Lib. 6. Annal. Holl.

den minder opens te geven / weynich waeren/ende de dijcken door het luttel opsichts/slecht/kleyn / en gătsch onbequaem tot de schuttinge der vloedē/die maer iet boven de ghewoonte resen: Zynde dit zelve (myns gevoelen) de meeste oorsaeck / so van alle de groote meeren binnenslants / als oock vant verlies van soo veel schoone buiten lāden/etc. *Hactenus author Chronici.*

Adeò ut nihil à vero & veteri omni historia abhorreat magis, quàm velle persuadere & chartis ac pinacibus chorographicis quasi demonstratum omnibus adumbrare Austrinum mare, quod ad interiorem præsertim hunc sinum, ejusdem fuisse, Taciti & Plinij atq; illo antiquissimo seculo, capacitatis & habitudinis, quâ hodie visitur. Nec illud modò, sed & Flevum, nullo usquiam authore vel levißimum ejus indicium faciente, in interiori illo sinu, ut habet pinax Cluveri, collocare: cum & nihil minus, quam Oceani illud reciprocum & vadosum, quod circa Flevum perpetuo & statis vicibus veteres agnoscunt, ibi vel hodieq; comperiamur.

Chauci, *Sturij* seu *Vrij* potius, & *Frisiabones* á Cluveri expunctione vindicati: eorumque, & Marsatiorum quoque, sedes ubi quærendæ, indicatum.

Ibidem. 26. C*Vm ergo Austrinus præsertim ille interior sinus*

inus pauculis abhinc , uti indicatum , secu-is , id est, multo post Romanorum avum ex pascuis, paludibus atque insulis humilioribus in antum mare excreverit , quis deinceps Cluverum audiat Cauchos, Frisiabones, Sturios è manipulo insulanorum Rheni ac verbis Plinij tam confidenter expungentem? Nam cum ex septem populis, quos sterni inter Helium & Flevum memoraverat Plinius, vix tres fortasse dari queat, quorum certa aliqua supersint hodieque vestigia , ut Batavorum, *in Gelrorum & Hollandorum Batavia , nunc* **boven** & **neder Betouw**/ *dicta*, Caninefatum *in Kennemarijs*; Frisiorum *in Westfdisiis seu Northollandis*; *quis non videt reliquorum quatuor Sturiorum puta, Marsatiorum, Cauchorum & Frisiabonum sedes in mari illo Austrino, Velavia, Gojolandis & VVaterlandis quærendas? sed veras aut certas quomodo indicabimus, cum inverterit terrarum illarũ potissimã partem & abraserit pæne omnia internum illud, quod dixi, pelagus? Non ergo dicendũ hic aliud videatur, quam superesse etiamnũ reliquias & monumentũ aliquod Marsatiorũ præsertim in vico Trajectensi* **Marsen** & **Marsberge**: Sturiorũ *vel, ut legisse videtur Haemrodius*, Vrionũ *seu, ut ad Plinij scripturæ reliquias quam proximè accedatur*, Vriorum, *in insula Austrini sinus* Vricha : *Cauchorum in Apcaudijs aut Gojocis nunc ad marginem Austrini sinus meridionaliorem sitis. ita ut*

gentes has territorium suum per Velaviam nunc dictam Goilandosque atque Amstelandios magno flexu ad medium fere Rhenum & Caninefates circumduxisse existimem: fuisseque in tribus illis præcipuos Marsatios, utpote historicis aliis, præter Plinium, ob facta etiam militaria notos & nominatos: inter omnes autem præcelluisse Batavos & Caninefates: nam & Frisios illos insulanos, seu ut Plinius habet, in Rheno, vix nominatos uspiam, præterquam in illo Plinij loco, & apud Tacitum, qui minores appellat, invenio; credoque inter Caninefates aut latitasse aut censos fuisse, quam primum à Frisiis transrhenanis separatos imperio ac jugo suo submiserint Romani.

Frisiabones porro, quod, præterquam Plinio lib. 4. cap. 15. nemini, nec Tacito quidem, nominatos agnitosque & ideo quoque expungendos Cluverus inferat, quomodo admitti ratio potest? Nam Tacitus, qui ex Rheni insulanis Batavos, Caninefates, Marsatios in rebellione Civilis nominavit, Frisiabones, cæterosque tacuit, ita accipiendus, ut nobilissimos popularium recensuisse satis habuerit. Alias enim quis Taciti minores, id est, insulanos, seu, ut appellavi, in Rheno Frisios exstitisse in rerum natura neget, quia eorum in eadem rebellione, sed tantum Frisiorum transrhenanorum in auxilium accitorum mentionem idem Tacitus injiciat? Deinde quomodo polliceri sibi Cluverus audeat ex nuda conjectura rescribenti

benti Plinium, majorem se inventurum fidem, quam ipsum Plinium, qui in omnibus tam cusis, quàm scriptis exemplaribus Frisiabones *constanter agnoscit? Plinium, inquam, quem ipse Tacitus præcipuum Germanicorum bellorum scriptorem habet; quem & fidei ergo, ubi res postulet, ad testimonium solenniter citat. Quibus & hoc accedit, quod ex vetusto quodam marmore inscriptio vetus Romæ excerpta, haud inglorium gentis nomen fatetur; atque ita idem proponit, ut de sede etiam recta nobis asseverata conjiciã. Nam apud eundem Plinium, libro superius citato capite decimo septimo, qui nominantur in Gallia Belgica continenti similiter* Frisiabones, *librariorum incuria in locum non suum irreptitij ad decimum illud quintum præcedens, non decimum septimum Caput spectant. Et, si divinare liceat, non abs re sit, quod mihi amicus injecit,* Frisiabonum *ibi loco exaratum fortasse primitus* Eburones. *Eburones, inquam, in illa Galliæ Belgicæ populorum censione, quam eodem 17. Capite instituit Plinius, nequaquam omittendi. Inscriptio autem, quam dixi, hunc in modum se habet:*

Lib. 1. Annal. lib. 3. Annal. & alibi.

D. M.
T. FL. VERINO. NAT. FRISÆVONI.
VIX. ANN. XX. M. VII. T. FL.
VICTOR. EQ. SING. AVG.
FRATRI DVLCISSIMO
F.C.

Quo loci notandū Frisævones *exaratum; quomodo & Pliniј propemodum vetustiores codices nōnullos reservare intelligo, qui* Frisiavones *habent. Vtro autē modo acceperis parum refert. Nā utrumq́ à Germanica & vernacula nostratium voce* wonen/ *id est*, habitare *formatum est; quod aliј, ut Dani, per* B *efferunt, usurpantq́ hodieq́ in nonnullis suorum popularium; ita scil.* Falsterbones, Funbones & VVeenbones *suos, hoc est*, Falstriæ, Funoniæ & Venæ *insulanos littori proximos adhabitatores vulgo & communiter indigitantes. Vnde &* Chaibones & Chaivones, *promiscuè scripti veteribus, sæpenumero occurrunt; sicuti &* ingevones & Istevones, *aliјq́ ab eadem Germanica terminatione nominati populi.* Frisiabones *itaq́ appellati ab ipsa re, quod Frisiis nimirum Rhenanis nō accolæ tantum, utpote insulas & paludes proximas inhabitantes, sed quod similis insuper linguâ & moribus gens ac natio fuerit.*

Quod autem interiјcit hic Cluverus subinde recto casu Frisæo *in lapidibus occurrere, ut dubium non sit quin idem nomen eandemq́ nationē &* Frisæo & Frisævo *significet. Respondemus si pro Frisio* Frisæonē *generatim accipiat, specialius esse vocabulum Frisiabonum, suadente id non tantum Pliniј, quem modo adduximus & marmoris authoritate, sed formatione quoq́ nominum & gentium simili, ut Chaibonū, Istevonum aliarumq́, quas diximus. Quorū* Chaivones *Chaucis ad*

ηis ad Oceanum proximi habitantes sunt, χαῦβοι fortaſſe Straboniani. Sed de ijs & Friſiabonibus quoq́, quia alibi nobis luculentius dictũ, hæc ſufficere hoc loco nunc exiſtimo.

Defenſus & explicatus Strabo de ſede cis & tranſrhenana Menapiorum, aliaq; ad lucem ejuſdem & patrocinium addita.

SVb finem ejuſdem Capitis invehitur in Strabonem Cluverus, eoſq́, qui, eundem Straboñe ſecuti, Menapios ex utroq́ oſtiorũ fluminis Rheni olim accolentes faciunt. Verba ejus hæc ſunt: Notandus hic in Friſiorum finibus deſcribendis quorundam haud levis error, qui Menapios Galliæ Belgicæ populum, trãs Rhenum Amſtelodamũ uſq, deducunt; dictæq; urbis ſolum non Friſiorũ (quod nos) ſed Menapiorum quondam fuiſſe contendunt, Strabonis videl. verbis, quæ ſint lib.4. perſuaſi: Treviris contermini ſunt Nervij, & ipſi Germanica gens. ultimi autem ſunt Menapij ex utroq; latere oſtiorũ fluminis Rheni accolentes paludes atq; ſaltus, non altarũ, ſed denſarũ ſpinoſarũq; arborum. Verũ ex uno auctore, ceteris omiſſis, vel non admiſſis, terræ alicujus ſitũ velle deſcribere, quam ineptũ imperitumq; ſit, ſupra notavimus. Quapropter hos quoque geographos haud immerito culpemus, quod una Strabonis Græci hominis auctoritate probata, reliquorũ auctorũ fidẽ aſpernãtur. Ibidem. 27.

Qui ex Cæsare, Tacito, Plinio alijsque auctoribus quum satis, clare Batavorum agrum, inter Mosam Rhenumque amnes cognovimus; qui credamus Menapiorum fines, qui Mosa flumine à Batavis disterminabantur, tam lõgo intervallo, post Batavos tamen Caninefatesque trãs Rhenum resurrexisse. *Hactenus Cluverus.* *At ego libenter hic didicerim, quinam illi geographi Cluvero sunt. Non enim puto quemquam, qui nomen hoc possidet, tam inconditè res istas tractare, ut ævum inter Strabonis & Taciti discrimen nullam ponat, omniaq́; , ut ille inquit, linea consignet alba. Aut certe ipse, qui hæc adfert, Cluverus, hoc nomine insimulãdus & imperitiæ atq́; ineptiarũ reus agendus, qui ista tã incondita in medium adducit. Nos in Amstelodamensibus ubi Strabonis hunc locum excussimus, demonstravimus simul, mutato ævo & gentium sedibus, quinam populi post nominatos Cæsari ac Straboni transrhenenses Menapios, ea circiter loca, ubi nunc Velavici, Goioci & Amstelij sunt, Romanis postmodum innotuerint, nominatique aliquot, qui Tacito & Plinio præsertim in insulis Rheni collocãtur, & inter cæteros Marsatij præcipuè. Nam de Frisiis majoribus minoribusque, quam eos recte ad interiora hæc loca, & ad medium Rheni alveum Cluverus conjecerit, supra vidimus. Et ponamus omissum à quoquam quod Plinius & Tacitus tradiderint, ergone contraria*

traria ÿs attulisse dicendus, qui quod ante eos suo ævo Cæsar & Strabo compertum habuerint, simpliciter referat? Aut erroris insimulandus is erit, qui Cæsarem Sicambros transrhenanos facere dixerit, cum cisrhenanos eos postea faciat Suetonius? Neminem tam vappā fore existimem, qui affirmarit: Nisi probatum simul foret, alterum ab eodem vel negari vel ignorari. Ingenui idcirco atque animi humani fuisset, eos eloqui, qui diversum sentirent nullāque hic discrimen inter authorum ætates gentiumque migrationes agnoscerent: Aut si nulli sunt, nisi ipse, qui hæc prodit, Cluverus, vani videatur & ingenÿ contentiosi cum umbra gladiari & adversarium sibi fingere.

Iam ad ipsum quod attinet Strabonem, cum Cæsar ad utramq; Rheni ripam non ædificia tantum & vicos, sed agros etiam habuisse Menapios referat, Strabo qui aliquot post Cæsarem annis Geographicos Commentarios edidit, aut explicasse hoc loco Cæsarē voluisse videtur, aut quæ postmodum compertiora didicerat, tradidisse, cum ad ostium utrumque Rheni eos collocet. Quamvis de priori, id est, occiduo Rheni sive Mosæ ostio neminem futurum existimo, quin etiam Cæsarem intelligendum concedat, Menapios scilic. non ex eâ solum Rheni ripâ, ubi divergium fluminis incipit, sed etiam ipsum juxta Oceanum, ubi flumen propemodum elabitur, collocatos tum fuisse: cum præsertim T. Labienum tribus cum legioni-

Lib. 4. Bell. Gall.

legionibus ad Oceanum versis, eas in partes, quæ Menapios attingunt, proficisci, iussisse Cæsarē, legamus. Quid enim eo ex loco & verbis manifestius, quàm alterum Rheni ostium, occiduum videlicet, ubi Brabantiæ hodie ac Zelandiæ confinia, eos accoluisse? & ad ripā nihilominus utrāque & præsertim transrhenana ædificia & vicos et in proximo agros habuisse, ut antea relatum ex Cæsare fuerat? iique agri, quid mirum aut novū si versus medij Rheni ostium (quod tūc adhuc extimū solum ac boreale habebatur) producti extēsique fuerint? Sane id Strabo, quē diximus, diserte post Cæsarem, & pleno ore, paulo nimirū lōgius eorum sedes ad fluvij inferiora deducens, testatur, cum inquit, ut & supra posuimus, verbis, quæ Velaviæ ac Gojolandiæ ericeta proximasque paludes ad vivum quodammodo nobis depingunt, ejusmodi nimirum: Menapij ex utroq; ostiorū latere paludes incolunt & silvas humilis densæque materiæ ac spinosæ. *Nec diffiteri hæc potest ille ipse, qui acriter tamen ac severe hic se opponit & adversarium facit Cluverus. Quid igitur vult aut adfert? Inepte scilic. imperiteque fieri, ita enim loquitur, quod una Strabonis Græci hominis auctoritate probatâ, Cæsari, Plinio ac Tacito haud consentientia adferātur. De Tacito & Plinio jam indicatum est, ævo eos Strabone multo inferiores existere, ideoque, factis gentium migrationibus, rationem omnino hic disparem esse. At de Cæsare, quomodo ea quæ à Strabo-*

Lib. 6 Bell. Gall.

à Strabone memorata sunt, verbis Cæsaris cōtraria aut dissentientia ab illis esse probabit? Nā & Cæsar, ut monstravimus, transrhenanos Menapios *confessus est: Et Strabo exinde sedes eorū quousque extenderentur, prout acceperat, accuratius adjecit. Nā quòd objicitur ex eodē Cæsare, de transrhenanis Menapijs, quid hoc ad causam quæ agitur? An ideo quia ripæ qui erant utrimq; proximi Menapij ab incursione subitanea Tentherorum cladem & damnum passi, agri quoque & latifundia in universum sublata eis atque abalienata? Non hoc Cæsar, sed copijs eorum & frumentatione hiemem transfugisse Tenchteros innuit tantum. Et patet ex ipso Cæsare, regressis ad ulteriora Tenchteris, satis exinde ad bellum superfuisse virium Menapijs.*

Sed hæc adhuc in Strabonem lusoria; postea colophonis veluti loco serio vapulat, talesque illi alapas infringit; eum nimirum regionum harum & sedium Menapicarum ignarum fuisse: idque his argumentis convinci. Quod neque de Batavorum insula, neque de reliquo eorundem agro, neque de nomine quidquam referat: & denique quod in Lippiæ amnis, quē in Oceanū deducit, itēque in sede Boiorum constituenda lapsus sit. At responderi pro Strabone potest, 1. eum cum non unum, sed utrumque Rheni ostiorum posuerit, ipsam etiā Batavorum insulam, Cæsari paulo ante & cognitam & celebratā, hoc ipso, intento quasi digito, satis indicasse, etiamsi nomine non signaverit, ad alia videl. & majora tum properans.

2. *sinistrè & alogως, quomodo et ante monuimus, ubi similis inscitia Mela impingitur, à silentio ad ignorantiam consequentiam inferri.* Non nominavit, ergo ignoravit. *Nam sane Batavorum agrum quomodo vel potuerit ignorare, cum Cæsar tam diserte eum descripserit; & Strabo, ipso Cluvero fatente, pleraque de Gallis ex ejus Commentarijs ad verbum transscripserit? Lupiā vero non, ut interpretatur Cluverus, in Oceanū, sed in eandem cum Amisi partem, vel potius, ut recte explicat Iunius*, ἐπὶ ταῦτα *(videlicet* ἔθνη *quod præcessit) id est*, ad has nationes *decurrere tradit. Quod ut excusari apud æquos arbitros possit, ita severiores si pertendant de Oceano intellexisse, respondendum excidisse hoc Straboni ut* μνημόνικον ἁμάρτημα *quod mirum haud sit in tenui præsertim fluviolo: sicuti & totum illud de silva Hercinia & sede Bojorum involutum & perturbatum hodie apud eundem legi non modo Casaubono nuper, sed & Munstero jā olim, notatum: Qui & juvare pro parte, sed absque meliorum ope codicum in cassum hactenus laborarunt.*

Hæc pro Strabone adversus Cluverum, & vitiligatores, quæ dicerem breviter, habui. Alijs si aliter videtur nos libenter meliora docentes audimus, modo id sine acerbitate, & ut decet humaniorū literarum mystas absque studio & ira, et, quæ hinc exsurgere solet, aliorum inconsulta vellicatione, fiat. Ea enim ubi adfuerint, eorum nos oratio-

orationes Socratico quadã more, quatenus licebit, sinemus præterfluere.

Nabaliam in verbis Taciti 5. histor. de Isala accipi haud posse, nec Ptolemæi Navalia de flumine, sed loco intelligenda, paucis ostenditur.

D*Emonstraturus Cluverus Isala olim flumen Nabaliam dictum, alvei ejus tractum ab ipso fonte deducit, additq́ fluminis eam appellationem antiquam omnes, qui ante se eas terras descripserunt, latitasse. Quo autem argumento id Cluverus? nullo, nisi nudâ verborum Taciti, quæ ita habent cõjectura:* Petito colloquio *(de Civili loquitur)* scinditur Nabaliæ fluminis pons. in cujus abrupta progressi duces; Civilis ita cæpit, &c. *His motus Cluverus, hæc continuò subjicit;* Hic Lipsius *(*magnus certè in omni antiquitate Romana, si unam geographiam excipias, & incomparabilis vir*)* item Beatus Rhenanus loco Nabaliæ malunt legere Vahalis, magno errore contra filum historiæ, quum Nabaliæ nomen prorsus eis incognitum. Qui error facilis discussu est. Nam si Civilis post tentatam in Mosæ fluminis ore pugnam, trans Rhenum concessit, quomodo mox ad Vahalim amnem colloquium à duce Romano petijt? *Hactenus Cluverus; & vera fortassis sint de Vahali quæ adfert: interim*

CAPVT XXII. 28. Lib. 5. hist.

rim quæram ego, cum concedat trans Rhenum Civilem concessisse, an Rheni nomine Nabaliā, id est, Isalam, intelligat? sed hoc neutiquam concedet, quia diserte, ut supra patuit, & infra dicetur, negat hîc Rheni nomine usum Tacitum. An ergo medium Rhenum accipi velit? Nec hoc dat, quia tenuis ille: atque ita minus Civili tutus fuisset: Sequitur ergo Rhenum accipere eum qui supra Isalam à parte Germaniæ fuerit. Quod cum sit quid, rogo, adegerit Civilem Batavum, itemque Tutorem & Classicum Treviros ceterosque duces, cum potuissent post infelicem Batavoduri, Vadæ ac reliquorum castrorum Romanorum opugnationem, trans proximum Isalam fuga sibi consulere, superiorem Rheni oram quærere? Et vicissim illam nacti, quid movit eosdem inferiora & extimum denuo ac Borealem hunc Rheni alveum repetere? An pons ibi, aut ejus antea apud Tacitum ullibi mentio? Et ponamus fuisse pontem, ergone Romanorum fuisse dicemus, an hostium? Si Romanorum: quomodo in hostium solo, id est, extra imperij limitem (Nam, ut antea patuit, intra Rhenum medium constitisse eum vult Cluverus) stravisse eos fluminibus pontes cuiquam persuadeat quum reliquo Rheno nisi momentaneos fere, & militi traducendo impositos habuerint? aut si hostium, id est, Germanorū fuerit, quis eos Romanis, sibi perpetuo imminentibus, posuisse pontes verisimile dicat? Hæc aliaque talia non tollit, imo ne tangit quidem Cluverus.

rus. Et tamen ita porrò concludere non dubitat: Ex his jam certum extraque controversiam sit Isalam flumen olim Nabaliam dictum fuisse. *Quæ sane ex antecedentibus vitiose inferri quivis videt: & nisi certiora producantur manet adhuc controversi juris Nabalia. At inquit,* Ptolemæi quoque Ceographia comprobare videtur Isalam esse Nabaliam. quidpe oppidum habet (*sunt verba Cluveri*) Navaliam Septentrionali Rheni alveo(qui est Isala)adpositum. quod perperam imperitorum vulgus Navalia numero multitudinis, quasi à navibus appellatum, statuit. *Quibus verbis fatetur Isalam Ptolemæo esse atque appellari* Rheni *alveū: quomodo ergo* Nabalia *locum habebit? Aut quis suggessit Cluvero Ptolemæum* Navalia *unitatis,non multitudinis numero efferendum voluisse? adeò ut illi, qui pro navium statione numero plurali accipiunt imperitorum vulgo accenseri mereantur? Quis hic Cluveri nimis præcipitem censuram, ne dicam bilem non agnoscit? Et simul tātum abesse ut hæc Ptolemæi eum juvent, ut etiam opinionem ejus evertant? Nam demus aliquod flumen dici Nabaliam, ergo & oppidum quoque idem nomen habebit? Non quidē hoc, inquiet, sed* Navalia dictum Ptolemæo oppidum, cujus cognomine flumen Nabalia Tacito, eadem dialecti ratione, qua nunc etiam Nabel dicunt inferiores Germani,

G ac Sa-

ac Saxones *umbilicum*, quē ceteri Germani **Nabel** vocitāt. *Ergo ab oppido flumen, nō (quod tamen ſubinde fit) à flumine oppidum aut locum cognominatum vult; At quomodo Ptolemæum hoc latuit, qui oppidum Navalia nominaverit, flumen tamen, ut jam dictum,* Rhenum, *non* Nabaliam *appellat? Sed Tacito, inquiet,* Nabaliam *nominatam. At iterum quæro, quo id indicio demonſtretur; an ſcilic. quia* **Nabel** *inferioribus Germanis* umbilicum *notet, qui ſuperioribus eſt* **Nabel** *? Vt ita Ptolemæus Belgica, Tacitus dialecto Germanica ſit uſus. Sed hæc quænā eſt ratio? Alluſionem quidem et etymon aliquod vocabuli audio, rationem non video. Et, te ipſo, Cluvere, cenſore, meminiſt in quam ſubinde Iuniū excipias, alluſiones vocabulorum ſectantē? quam illum exagites ſine ratione probabili notationibus innitentē? Hæc & ſimilia quia in aliis ſeveriſſimè & ſæpe immeritò culpas Cluvere, in te eadem meritò, ſed ſine acerbitate, caſtigari, ſpero, inoffenſus admittes.*

Nabalia apud Tacitum, an de *Nava* flumine accipienda, diſquiſitio inſtituta.

Ibidem. 29. P*Oſtquam ſatis nunc oſtenſum videatur neq;* Nabaliam *apud Tacitum de Iſala, neque apud Ptolemæum* Navalia *de eodem, ut voluit Cluverus, intelligēda; quæri præterea poſſit, quid ergo ſuper Taciti præſertim loco ſtatuendum ſit. Diſerta enim ejus videntur verba Hiſt.* 5. Petito colloquio, ſcinditur Nabaliæ fluminis

nis

nis pons. in cujus abrupta progressi duces. Civilis ita cæpit, &c. *Vt, quod sentiam, eloquar; difficile est sententiam hic dicere, & maximè quia solum & unicum habemus Tacitũ, qui hos Civilis & Trevirorum Lingonumque motus & ab imperio defectiones posteris enarratas reliquit. Tamen cum constet ultra Rhenum, qui est supra Isalam seu Drusi fossam, deploratis jam rebus, confugisse belli duces, verisimile sit, capto cum Velleda, Bructerorum regina, ceterisq; fœderatis consilio, constitisse in ea Germaniæ parte qua Cattis ac Mattiacis proxima fuit. Cui è regione cis Rhenum Romanorum prætoria castra Maguncianum, Bingium & ipsi Treviri ac Mediomatrici locabantur. Hic ergo Civilē & Classicum ac Tutorem* cum centum tredecim, *ut habent Taciti verba*, Trevirorum senatoribus, *qui simul trans Rhenum fugerant, animadversis suorum ad pacem propensis animis, bellum componere, & ut idem Tacitus ait*, prævenire voluisse *vero consentaneum habeam. Nam & Cerealis Romanorum dux Civili jam tum veniam ostentans non tantum agros villasque ejus, dum Batavos popularetur, intactos relinquebat, sed Velledam præterea propinquosque monebat fortunam belli tot cladibus adversam oportuno erga populum Romanum merito mutarent. His itaque flexi & aurem paulatim commodantes cum Classico Civilis; Tutorq; ac ceteri Trevirorum Lingonumq;, vix ambigendũ quin*

 pacis

pacis colloquium ibi præsertim instituendum voluerint, ubi proximi & in vicino essent non ipsius modò Civilis fœderati & consanguinei, sed Trevirorum quoque & Lingonum populares propinquiq́. Quapropter haud abnuerim, si pontem, in cujus abrupta progressos ad colloquium duces memorat Tacitus, interpretemur Navæ *fluminis, quod Bingium, in ipsa ripa positum, prælabitur, Rhenum influens. Sanè idem Tacitus in eadē hac rebellione ejusdem pontis jam ante meminerat, ubi inquit:* Tutor Treviris comitantibus, vitato Maguncaico, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat. *An autem indifferenter modò Navam modò Nabaliam nominaverit Tacitus, an vero librariorum, non Taciti, scriptura sit Nabalia, quod statuam in incerto habeo. quāvis prius in Ausonij etiam Mosella constanter perscriptum ita legatur:*

Transieram celerem nebuloso lumine Navam.

Sed opponi possit, si de Nava accipimus, trāsmittendum denuò Civili Rhenum fuisse, cujus non meminit Tacitus. Verum sciri refert, Tacitū cum multa breviter narret, Apellis in morem, intelligenda nonnulla velle, quæ non exprimit. Sic idem, ut alia nunc mittam, cum retulisset Tutorem & Classicum, relictis suis finibus circa Mosellam, trajecto Rheno, in Germaniam concessisse, tamen

tamen ſtatim, nulla tranſmiſsi viciſsim Rheni mentione, utriuſq; meminit in caſtrorum ac præſidiariorum Romanorum oppugnatione, quam circa Batavodurum, Arenacum, Vadam atq; illa loca cis Rhenum Civilis inſtituerat. Nam addit ſub fine, Civilem, pugna infeliciter tentata, agnitum, teliſque petitū, relicto equo, tranſnataviſſe; Tutorem vero & Claſsicum appulſis lintribus revectos. Sed verba ipſa apponam : Vadam Civilis, Ghrinnes Claſſicus oppugnabat. nec ſiſti poterant, interfecto fortiſſimo quoque: in quis Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis, & Civili avunculo infenſum diximus. Sed ubi Cerealis cum delecta equitum manu ſubvenit, verſa fortuna. præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus, petituſque telis, relicto equo, tranſnatavit. Idem Germanis effugium. Tutorem Claſſicumq; appulſæ lintres vexêre. *Vnde in ea oppugnatione Civili adfuiſſe, quos dixi, Tutorem & Claſſicum, certò colligas, etiamſi Rhenum tranſiſſe non legas.* Hiſt. lib. 5.

Nihil hic interim decretorium in modum aſſerimus, in re præſertim obſcura & uni Tacito adeò breviter & intento veluti digito indicata; animi tantum noſtri conjecturam & juvandi conatum in medium propoſitum volumus, libenter ſemperq; agnituri ſi quis alius, vel ingenio,

vel libri subsidio, certius aliquid invenerit conjeceritve.

Coronis superiorum.

HAEc *exaraveram cum ecce Rhenani et Vertranij in Tacitum Observationes inspicio, videoque in codice Budensi Rhenanum* flabalie, *Vertranium verò in Corviniano, non* Nabalie, *sed* flabile fluminis *liquido perscriptum invenisse. Quæ sane quantivis pretij observatio, præter jam dicta, pessundet planè Cluveri* Nabaliam, *utpote lectionem non omnium codicum & dubiæ scripturæ. Nec id tantum, sed & Vertranium insuper idem quod nos conjecisse jam olim repperi, legendum scilicet,* Navæ fluminis pons. *quamvis, præter similem Taciti locum à nobis quoq; prolatum, rationes non addat: Quibus additis & ponderatis, uti à nobis pro parte nunc factum, haud omnino de nihilo eam habendam conjecturam existimo.*

Ostenditur, cõfutatis Cluveri exceptionibus, etiam *Rheni* vocabulo *Isalam* Tacito intellectum nominatumque. ubi & de Classibus Romanorum et navigationibus per idem flumen.

Ibidem 30. QVò *firmet porro suam de Nabalia opinionem Cluverus, Tacito nimirum Isalam* Nabaliæ *vocabulo intellectam expressamque; argumenta testimoniaque, quibus Rheni nomine affecisse*

affeciſſe idem flumen Tacitus videatur, quæcunque poteſt, unum in acervum colligit, &, quantum in ſe eſt, de Iſala non accipienda, omnibus modis variiſque exceptionibus uſus, commonſtrare laborat, facile ſcilicet animadvertens, hoc poſito conceſſoque, locum commento ſuo nullum relinqui.

Sed antequam ipſum Cluverum audiamus, hoc unum præmitti debet, ſuperius indicatum nobis, nec inficiari Cluverum; Melam & ipſum deniq; Plinium Iſalam *diſerte vocabulo* Rheni *accipere, cum* à Septentrione in lacus ſpargi eum; *& Mela*, ad dextram primo anguſtum & ſui ſimilem, poſt ripis longe ac late recedētibus, jam non amnem, ſed lacum eſſe *dicat*, tandemque fluvium denuò emitti. *Quibus & tertio loco Ptolemæus accedit, idem aſſerens. Sed inquiet Cluverus, de Tacito quæſtionem inſtitutam. At Tacitum quis credat poſt tantos authores, Melam dico et Plinium, ſeorſim fluviorum novis vocabulis uſū, quorum nec apud veteres, nec ſequentis ævi ſcriptores uſpiam vel tenuis mentio; vel apud poſteros aut fluminis accolas ullum exſtet veſtigium? Et demus potuiſſe fortaſſe poſt ævum Melæ compertius quid intellexiſſe ſuper eo fluento Tacitum: at de Plinio, ſcriptore propemodum Tacito ſynchrono, quem & rerum Germanicarum præcipuum authorem habere ſe ac ſequi ipſemet quoq; Tacitus libenter fatetur, quis idem aſſerat?*

Sed præſtat ipſum Cluverum audiamus. Ait ergo: Tacitus licet crebras ex ſuperiore Rheni parte in lacus navigationes commemoret; tamen Iſalæ amni nomen haud unquam appoſuit, niſi hoc ipſum Nabaliæ, idque uno loco, modo citato. *Hac Cluverus. At modo commonſtravimus ex Budenſis & Corviniani Codicum lectione nomen & ſcripturam* Nabaliæ *eo Taciti loco dubiam & lubricam eſſe; ideoque ex eo nihil demonſtrari. Deinde notanda iiſdem in verbis Cluveri inductio & alogiſtia: Nam cum dicat crebro Tacitũ ex Rheno ſuperiori in lacus navigationum meminiſſe, nec tamen Iſalæ aliud quam hoc Nabaliæ vocabulum dediſſe, fallit elencho lectorem. qui ſe prodit hiſce, quæ ſequuntur, verbis:* idque uno loco modo citato. *Nam ſi crebras in lacus navigationes commemoret, & uno tantum earũ navigationum loco Nabaliæ nomen Iſalæ appoſuit, jam in crebris illis & frequentibus navigationibus tantum ſemel Nabaliam nominaverit: hoc enim inde ſequatur, nec aliud quidquã. quod tamen & ipſum nec verum ſit. Nam unus ille modo citatus ex 5. Hiſtor. Taciti locus, in quo* Nabalia *perſcriptum videtur, ut diximus, non de navigatione aliqua ex Rheni ſuperiori parte in lacus agit, ſed de pacis colloquio inter Romanos & Civilem in ponte fluminis inſtituendo. Unde jam ergo manifeſto conficitur, in crebris illis per lacus navigationibus à Tacito memoratis, concludendum*

Pag. 205. Superiori Diſcept. 29.

dendum fuisse, ne quidem semel Nabaliæ nomen Isalæ apposuisse Tacitum.

Nunc ergo res exigit, ut navigationes eas à Tacito memoratas videamus, quò liquido pateat nusquam eum, vel per somnium, Nabaliæ vocabulo Isalam, sed Rheni nomenclaturâ, exemplo Melæ ac Plinij, perpetuo indicasse.

Primam adducit ex 1. Annal. his verbis: Et ne bellum mole una ingrueret, Cæcinã cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti per Bructeros ad flumẽ Amisum mittit. Equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit. ipse *(Germanicus)* impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit, simulq; pedes, eques, classis apud prædictum amnem *(Amisiam)* convenire. *Hic quidem dum ait per lacus vectas legiones, satis indicat per Drusi fossam, seu tertium Rheni alveum, classem in eosdem descendisse, licet nec fossæ Drusianæ, nec Rheni nomen exprimat. Nam diserte, ut supra non semel citavimus, Mela Pliniusq; Rhenum hic dicunt in lacus se spargere: ut certum sit nullo alio alveo in lacus provectum Cæsarem.* Annal. 1.

Alter locus eodem est libro, ubi reduci è Cheruscis ejusdem Germanici memoratur exercitus: Atque ibi Rheni nomen additum exstat, ita nimirum: Mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut advexerat, reportat. Pars equitũ, littore Oceani, petere Rhe- Annal. 1.

num jussa. *At Cluverus Rhenum hic Isalam intelligendum serio negat, deq; superiore Rheni parte, ubi Vetera & ara Vbiorum, accipiendum contendit. Verum respõdemus, omnino hic in genere quidem Rhenum, sed præcipue & proprie inferiorem seu tertium hunc Rheni alveum, nunc Isalam dicimus, intellexisse historiographum. Quod ut constet, sciendum Germanicum præter classem, quæ mari, ut advenerat, rediit, tripartito insuper agmine ad Rhenum terrestri itinere quasdam legionum reduxisse. Primum agmen quadraginta cohortium Cæcina ducebat, qui per superiores Bructeros non sine clade suorum, irruente in eum Arminio, Coloniam Agrippinam, ubi pons Rheno impositus erat, regressus est: Alterum agmen, seu equitum pars Pedoni præfecto concredita, qui littore Oceani Rhenum peteret: Tertia denique manus, secunda nimirum & quinta decima legio, P. Vitellio ducenda tradita, & quidem eodem, quo Pedoni, terrestri per littus Frisiorum itinere. Vnde liquet, cum Cæcina ad Rhenum superiorem, & aram Vbiorum, ubi pons, ut dixi, eum in finem Rheno impositus habebatur, suum militem reduxerit: reliquos, Vitellium puta & Pedonem, Rheni inferiorem, proximum Frisiis, amnem jussu Germanici petivisse, ut ibi nimirum classe excepti cum ceteris ad hibernacula ipsaque castra veherentur. Nam*

statim

ſtatim ubi de Vitellio & luctatione legionum cum æſtu Oceani narravisſet Tacitus, addit exinde penetraviſſe eos ad amnem, quo Cæſar claſſe contenderat; atque ibi impoſitas legiones ad hiberna deinceps revectas, gratantibus Cæſari atq; exercitui reduci, qui in caſtris & præſidijs remanſerant, militibus. Ait enim: penetratumque ad amnem, quo Cæſar claſſe contenderat. impoſitæ deinde legiones, vagante fama ſubmerſas. nec fides ſalutis, antequam Cæſarem exercitumque reducem vidêre. *Amnis ergo eo loci is eſt, qui nunc Iſala nobis, antea Rhenus diſertè eidem dictus, iſtis verbis:* pars equitum, littore Oceani, petere Rhenum juſſa. *Nam littus Oceani intelligendum, ut innui, Friſiorum, qui, ut alibi ait Tacitus, Rheno aduſque Oceanum prætexuntur; adeò ut ipſa chorographia manu ducente, non niſi tertio huic atque inferiori, nō vero ſuperiori, quem, ut diximus, Cæcina petierat, Rheni alveo occurrere Pedo Vitelliuſque, itinere jam dicto pergentes, potuerint: Cluverus tamen reperto gloſſemate* Viſurgis, *quod incuria librariorum illis inhæret Taciti verbis:* penetratumque ad amnem (Viſurgum) *vice gloſſematis* Viſurgū, Vidrum *hic ingerit, ſed incaſſo ſimiliter, ut mox liquebit, tentamine.*

Porrò 2. Annal. ubi verba ſunt Taciti de altera Germanici in Cheruſcos expeditione: Iamque

que classis advenerat, cum præmisso cõmeatu & distributis in legiones & socios navibus fossam, cui Drusianæ nomen, ingressus, præcatusque Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret, lacus inde & Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. *Ait Cluverus, Drusianæ quidem fossæ & lacuum navigationem memorat autor, nec tamen uspiam Rheni nomen in Isula. At meminisse Cluverus præcedentium debuerat; quod Tacitus, antequam classis (legiones in Germaniam & Cheruscos transmissura) advenisset, commemoret insulam Batavorum, in quam cõveniret, prædictam, ob faciles appulsus, accipiendisque copijs & transmittendum ad bellum oportunam; adijciens simul rationem quamobrem transmittendum ad bellum ea præcipuè insula oportuna haberetur, quod nimirum ibi, apud principium agri Batavi, in duos amnes Rhenus divideretur, quorum alter in Galliam, alter servans nomen & violentiam cursus obvia & facili in Oceanum Amisiamque & ipsas denique in gentes Germaniæ descensu duceret. Sed ipsa verba ponemus :* Insula Batavorum in quam conveniret prædicta, ob faciles appulsus, accipiendisque copijs & transmittendum ad bellum oportuna: Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas

Annal. 2.

insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, servatque nomen & violentiam cursus, quâ Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur. *Hactenus Tacitus. Nec latent me exceptiunculæ, quas adversus hunc locum alibi adducit Cluverus; Quæ & ipsæ cum jã ante ad plenum nobis confutatæ sint, repetere hic supervacaneum putamus.*

Sequitur deinde ex quarto Annalium, ubi Frisii castellum Romanorum Flevum obsedisse narrantur, hunc in modum: Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniæ proprætori cognitum, vexilla legionum è superiori provincia peditumque & equitum auxiliarium delectos accivit, ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisijs intulit. *Quibus subinfert Cluverus, hic quoque Rheni nomen, non Drusianæ fossæ, nec Isalæ, quãvis illac classis meaverit, sed superiori parti, quæ ab hibernis ad divortium usque protenditur, tributum. At quomodo id probaverit Cluverus, si nimirum, ut ipsemet fateri cogitur, per Isalam classis meaverit, quo introduceretur exercitus Frisiis, tantum Rheni vocabulum adusque divortia accipiendum? Quis enim verisimile dicat, cum ad Vetera essent L. Aproniÿ hiberna, id tantum spatiÿ, quod est intra eadem Vetera, nunc* Xanthen *putant, & proxima Rheni divergia, his verbis:* Rheno devectũ Frisijs intu- Annal. 4.

intulit, *intelligi voluisse Tacitum? Et hoc si esset, nonne & statim circa divortia exscensionem factam & Frisiis illatum militem intelligere deberemus? At negat hoc historiæ & chorographiæ ratio, & ipse Cluverus, qui continuo descensu per Isalam ad ipsum castellum delatos auxiliares confitetur. Quapropter quid obstet non video cur Rheni vocabulo etiam hic Isalam includi neget, præsertim cum non è superiori Rheno devectum, sed inde, id est, è provincia superiori accitum militem L. Apronius, qui, ut indicatum, ad Vetera constiterat, ac navibus demum ibi, circa ipsa propemodum divortia, impositum utrumque exercitum Rhenoque delatum Frisiis intulerit. Verba enim superius citata diserte sic habent:* Vexilla legionum è superiori provincia peditumque & equitum auxiliarium dilectos *(L. Apronius)* accivit; ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisijs intulit. *Ubi illud præsertim,* accivit, *& quæ sequuntur*, ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, &c. *manifesto, quod innui, loquuntur, primo scilicet accita vexilla & auxiliarium delectos, atque inde, cum id terrâ haud commodè exinde potuisset, vectionem prope Vetera, id est, paulum supra ipsa fere Rheni divortia, versus inferiora inchoatam continuatamque adusque Castellum. Unde sequitur Cluveri ratiocinationem, qui haud ultra Rheni divortia Rhenum accipiendum hîc vult, evanidam omnino &*

no & nullam esse. Quin & ipse Cluverus Cluvero opponi hic possit, cum, oblitus sui, pag. 217. iterum navigationis hujus mentionem injiciens ait Apronium Rheno ad lacus usque, atque inde ad Flevum devectum. verba enim sunt: L. Apronius inferioris Germaniæ proprætor, cujus hiberna erant ad Vetera, naves Rheno, deinde per lacum, qui vulgo nunc Zuyder Zee est, & Flevum alveum devectas, ad castellum Flevum &c. adpulit: *Nam ex sententia, quam tutatur, nonne dicere debuisset*, naves Rheno atque inde Nabalia & tandem per lacus &c. *non*, Rheno, deinde per lacus?

Est & alius locus, citatus etiam Cluvero, undecimo Annalium; ubi, inter alia, hæc leguntur: Corbulo triremes alveo Rheni, ceteras navium ut quæque habiles, per æstuaria & fossas adegit, lintribusque hostium depressis, Gannascum exturbavit. *Hic Cluverus* alveum Rheni *de medio Rheno, qui Lugdunum Batavorum defertur, interpretandum nō dubitat; sed cum æstuaria ibi nec fossas, quarum hic meminit historiographus, ullas videat, ad Zelandos se transfert, & æstuaria hæc fossasque esse eas ait, quæ Zelandiam secant, ut ita duobus occidentalibus Rheni alveis, id est, ipso Rheno Lugdunensi & Vahali adegerit classem Corbulo. Verū confutat Cluverum inspecta accuratius verba Taciti; qui non alveorum, sed alvei unius mentionem*

onem facit; ne dicam ad æstuaria Zelandiæ haud pertinere Vahalim. Nam quod addit, si Isalam intelligi voluisset, lacuum quoque meminisset, ut solet: *semper verum non est, nec ita solet perpetuo Tacitus, ut patet vel ex 4. Annal. Vbi cum retulisset Apronium per Rhenum Frisiis exercitum intulisse solutumq; per eum Flevi castelli obsidium, continuo adjicit:* Igitur proxima æstuaria aggeribus & pontibus, traducendo graviori agmini firmat, æstuaria *tantum non* lacus *nominans*. *Adeo ut nihil sit certius quam illa superius de Corbulone memorata de Flevi æstuariis, & proximo fluento, Isala, accipienda, Rheni alveo diserte illis verbis indicato, quemadmodum & ante, ubi hûc locum propius tetigimus, copiosius est annotatũ.*

Ad cap. 2. Discep. 5.

Vltimo loco adducitur, quod exstat Annal. 13. Ceterum continuo exercituum otio fama incessit (*apud Germanos*) ereptum jus legatis ducendi in hostem. Eoque Frisij juventutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovere ripæ, agrosque vacuos & militum usui sepositos insedere. *Hos agros eo fuisse tractu, quo nũs comitatus Zutphaniæ non inficiatur Cluverus: ideoque, & Isalæ & Rheni ripæ Frisios admovisse suos fatetur, nec tamen Rheni vocabulum addidisse Tacitum, quamvis* lacus *memoraverit. At quid hoc ad causam? cum alibi ut jam monstravimus, addiderit, Rhenum diserte nominans.*

Fuffecit

Sufficit itaq; κατ' ἐξοχὴν ripam, *non* Rhenū, *hic dixisse, ut solet & aliàs de celebratissimo amne verba faciens. Sic & Mattiacos* in sua ripa *cum* agere *dicit*, *quam nisi Rheni intelligit? Quapropter* per lacus admovere ripæ *cum hic dicatur, haud ulterius quam ad* Isalam *traducendum, quia eum, ut ante ostendimus, sub* Rheni *nomine intelligens Plinius ait* in lacus spargi. *Et hic Tacitum idem respicere manifestum est, quia jam ante, & versibus proximè præcedentibus, de Rheno agat; ut ita plane idem ei sit*, per lacus admovere ripæ, *ac si dixisset*; per lacus admovere Rheno. *Quod ut magis constet, integrum locum adscribam, cum præter id etiam huc spectet, ut statim ostendam. Ait itaq;* Paulinus Pompeius, L. Vetus eà tēpestate exercitui *(Galliæ Belgicæ)* præerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coerçendo Rheno, absolvit: Vetus, Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella, in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se occidentis septentrionisque littora fierent. Invidit operi Ælius Græcilis Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne le- Annal. 13.

giones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret. formidolosum id imperatori dictitans; quo plerumque prohibentur conatus honesti. *Atq; hisce jam continuo subnectitur*; Ceterum continuo exercituum otio fama incessit, ereptum jus legatis ducendi in hostem. eoq; Frisij juventutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovere ripæ, &c. Ripa *itaq; est* Rhenus, *nunc* Isala; *&* lacus *eidem proximi*, *in quos (ut ex Plinio modò dictum, inq; Isala hodieq; liquet) idem Rhenus sivè Isala effunditur. Et denique ex verbis jam citatis*, *ubi de L. Veteri, hoc obiter addi superioribus potest*, *quod & ibi Tacitus Rhenum continuo tractu ad Oceanum usque septentrionalem, quamvis lacus non nominentur, deducat, cũ inquit:* Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent. *Nam Oceanum, & ductũ hunc alvei Borealem intelligi, liquebit ex proximè ibidem subsequentibus, quæ ita habent:* sublatisque itinerum difficultatibus, navialia inter se occidentis & septentrionis littora fierent. *Qui & idem Taciti locus conferri debet cum eo, quem & modò, & supra etiã citavimus in bifida Rheni divisione, ubi ait:* Rhenus

Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, servatque nomen & violentiam cursus, quà Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatnr. *Nam & ibi, omissa similiter lacuum mentione, cum Rhenum Germaniam, ut & ante monuimus, prævehi & Oceano misceri faciat, Borealem Oceanum & tertium hunc alveum intelligere certum est o.* 2. Annal.

Atque ex hisce jam locis, ac testimonijs hunc in modum positis, liquido satis patere existimo eundem Tacitum, cum utrasque Frisiorum nationes, majores minoresque, usque ad Oceanum Rheno prætexi *dicat*, ambireque insuper lacus Romanis classibus navigatos, *haud alios, quam nunc indicavimus,* lacus, *nec* Rhenum *etiam, aut* Oceanum *alium velle intelligi. Quod animadvertens Cluverus, ut sibi adversum, de medio similiter Rheno eum quoque Taciti locum & verbum* prætexi *accipiens* ἄτοπον *atque alogon haud unum incurrit. Sed ista ex antecedentibus nunc repetere atque iterare hujus loci haud fuerit. Quapropter ostendisse in præsentiarum satis sit,* οὐδ' ὄναρ, *& ne per somnium quidem, quomodo indicavimus, in omnibus hisce locis & navigationibus Drusi fossam atque Isalam Nabaliæ nomine affecisse Tacitum, sed aut Rheni amnem, aut Rhenū, aut Rheni alveum ripamque perpetuo nuncupasse, me-*

Lib. de Morib. Germ.

giones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret. formidolosum id imperatori dictitans; quo plerumque prohibentur conatus honesti. *Atq; hisce jam continuo subnectitur*; Ceterum continuo exercituum otio fama incessit, ereptum jus legatis ducendi in hostem. eoq; Frisij juventutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovere ripæ, &c. Ripa *itaq; est* Rhenus, *nunc* Isala; *&* lacus *eidem proximi, in quos (ut ex Plinio modò dictum, inq; Isala hodieq; liquet) idem Rhenus sivè Isala effunditur. Et denique ex verbis jam citatis, ubi de L. Veteri, hoc obiter addi superioribus potest, quod & ibi Tacitus Rhenum continuo tractu ad Oceanum usque septentrionalem, quamvis lacus non nominentur, deducat, cũ inquit:* Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent. *Nam Oceanum, & ductũ hunc alvei Borealem intelligi, liquebit ex proximè ibidem subsequentibus, quæ ita habent:* sublatisque itinerum difficultatibus, navialibia inter se occidentis & septentrionis littora fierent. *Qui & idem Taciti locus conferri debet cum eo, quem & modò, & supra etiã citavimus in bifida Rheni divisione, ubi ait:*
Rhenus

Rhenus uno alveo continuus,aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur,servatque nomen & violentiam cursus,quà Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatnr *Nam & ibi,omissa similiter lacuum mentione,cum Rhenum Germaniam,ut & ante monuimus, prævehi & Oceano misceri faciat, Borealem Oceanum & tertium hunc alveum intelligere certum esto.* 2.Annal.

Atque ex hisce jam locis,ac testimonijs hunc in modum positis, liquido satis patere existimo eundem Tacitum, cum utrasque Frisiorum nationes,majores minoresque, usque ad Oceanum Rheno prætexi *dicat*, ambireque insuper lacus Romanis classibus navigatos, *haud alios, quam nunc indicavimus,* lacus,*nec* Rhenum *etiam, aut* Oceanum *alium velle intelligi. Quod animadvertens Cluverus,ut sibi adversum, de medio similiter Rheno cum quoque Taciti locum & verbum* prætexi *accipiens ἄτοπον atque alogon haud unum incurrit. Sed ista ex antecedentibus nunc repetere atque iterare hujus loci haud fuerit. Quapropter ostendisse in præsentiarum satis sit, οὐδ' ὄναρ, & ne per somnium quidem,quomodo indicavimus, in omnibus hisce locis & navigationibus Drusi fossam atque Isalam Nabaliæ nomine affecisse Tacitum, sed aut Rheni amnem, aut Rhenū, aut Rheni alveum ripamque perpetuo nuncupasse,me-* Lib. de Morib. Germ.

se, memorem nimirum ubique verborum, quibus in amnis divisione servare *eum* nomen *& violentiam cursus à parte Germaniæ semel professus fuerat.*

Auctarium.

H*Oc auctarium ut addam, suadent, quæ deinde sequuntur, Cluveri hæc verba:* Certè quamvis in universum tres Rheni dicerentur alvei, tamen singulos ubi citare voluerunt antiqui Scriptores suis ipsorũ nominibus appellarunt: *Quærere enim hic libet, quo, præter Rheni, nomine Isalam appellavit Plinius, cum ait,* à septentrione in lacus se Rhenum spargere? *quo etiam Mela? quo Ptolemæus nisi, ut dixi, & supra monstravimus, Rheni vocabulo? Sed pergit Cluverus:* Sic hodie etiam hic Isala dicitur, ille Vahalis, medius autem Rhenus, quod probè observatum Tacito videmus. *Ubi de prioribus illis verbis,* sic hodie etiam hic Isala dicitur, ille Vahalis, medius autem Rhenus, *ut nihil nunc dicam; at sequens illud:* quod probè observatum Tacito videmus, *quomodo hic locum habet? aut ubi Isalæ meminit Tacitus, aut alio quàm Rheni nomine insignivit? Nam illud* Nabaliæ *fulcrum, quo hucusque est nisus Cluverus, quàm sit nullum nihilq; ad Isalam pertinens satis jam ante ostensum puto. Quapropter quod sequitur:* Ac sane fieri sic necessario

cessario oportebat, ne si sub uno Rheni nomine omnes promiscue sine ulla distinctione efferrentur, animus confunderetur lectoris, ambigentis quemnam ex tribus intelligeret. *Liberabo Cluverum hac sollicitudine; Et ne aliunde testimonia citem, ipso Tacito conficiam id commodè veteres potuisse, ac perfecisse etiam Rheni solius nomenclatura, cognomentis posthabitis. Nam Tacitus cum ait*, per lacus admovisse Frisios imbellem ætatem ripæ, *nonne* lacus *vocabulum, satis innuit, de ripa Rheni, qua Isala nunc dicitur, in lacus se effundentis ibi agi? Sic idem Corbulonem memorans triremes alveo Rheni, idque per æstuaria & fossas adegisse, nonne & ibi rerum ipsa circumstantia, quem Rheni alveum intelligi velit demonstrat? Et denique 5. histor. cum æquoris spatium navali pugna electū referat*, ubi Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit, *ecquis & hic, quamvis Rhenum, omisso Vahalis cognomento, simpliciter nominet, Vahalim tamen, ob additum Mosæ nomen, accipiendum ambigat?*

Postremo quod addit, non ex Tacito tantum, verum alijs etiam authoribus liquere, eos medium alveum intelligentes nudo Rheni vocabulo usos; *de Tacito, quomodo & supra innuisse nos scio, nusquā adhuc demōstratū, ei seorsim & solū vel nominatū illum medium alveū, post Drusi præsertim ductā fossam. Nā Taciti locū*

4. hist. ubi insulam Batavorum describens ait, Oceanum â fronte, Rhenum amnem tergum & latera ejus circumluere, *aspectu* Pag. 54. *Cattorum, cum primum insulam occuparent, ac-* 93. *cipiendum ipse Cluverus interpretatur. ut ita haud abs re cum Iunio collegisse videmur, Taciti tempore, medium alveum habitum rivi loco, præcipuumq́ nominis honorem in Drusi gratiam & rerum gerendarum oportunitatem Isalæ trãscriptum obtinuisse. Quod ergo ad alios authores attinet, quorum tres ad testimonium vocat, Suetonium, Plinium & Florum, quis Cluvero locis, quæ producit, medium illis Rhenum intellectum dixit? Sane Florus cum* per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxisse Drusum *memoret, quis horum castellorum partem, quæ infra divortia amnis fuerit, ad solum medium Rhenum restringet, nisi qui ignoret aut dissimulet, Drusum per tertium Rheni alveum, fossâ factâ, ad Cheruscos & Cattos bellum transtulisse, prolatoq́ imperij termino in ipsis Flevi æstuarijs hiberna castellaq́ habuisse? Atq́ inde Plinium aliosq́ veterum imperij, ab ea parte, Galliæq́ terminum eo loci, non ad medium Rhenum, ut supra ostensum est, constituisse?*

An

An *Sala* in verbis Strabonis lib. 7. de *Sala*, qui Albim influit, an vero de *Isala* sit accipiendus.

IAm ad epiphonema Capitis veniamus, quod ita auspicatur; Atque de Nabalia sive Isala flumine satis dictum ni novam moveret disputationem gravis quorundam error, silētio minime transmittēdus. *Strabo* lib. 7. Germaniam describens: *Est & Sala amnis, inter qaem & Rhenum, bellum felici successu gerens obijt Drusus Germanicus*. Hunc Salam illi Isalam esse volunt: idque verum atq; antiquum fluminis nomen. Nam Salam flumen, quod vulgari hodie vocabulo accolis *de Sale* in Albim incidit, longius à Rheno distare arguunt, quàm quod mēti Geographi respondere queat. Verum isti jam iterum culpandi, quod uni authori haud satis intellecto, temere adquiescentes, reliquos inspicere negligant. *Ex quibus liquet velle Cluverum*, Salam *Straboni non Isalam, sed Germaniæ interioris, qui Albim influit, Salam intellectum; idq; ex alijs authoribus cum Strabone collatis posse demonstrari. Quos autem adducit? Dionem Cassium in hac verba loquentem*: In Cattorum fines ingressus obuia quæque non sine magno labore subigendo congressusq; haud incruenta victoria superando ad Suevos usque pervenit. Inde in Cheruscorum fi-

Ibidem. 31.

Lib. 55.

nes converso itinere, Visurgim trãsgressus, omnia populando ad Albim usque perrexit. Qui ex Vindelicis montib. profluens in Oceanum septentrionalem magnus admodum factus effluit. Hunc quũ frustra conatus esset transire, trophæis excitatis recessit: *At hinc discitur Drusum postquam in terram exscensionem fecisset (nam, ut constat, classe Amisiam petierat) haud ultra Cattorum fines progressum, cis nimirum Visurgim prima adhuc excursione constitisse: atq; inde ad inferiora amnis conversum, Visurgim transisse, rectaq; Albim populando petÿsse, sed frustra conatum transire, fixis trophæis, recessisse. Adeò ut attentius si hæc inspiciantur ad Salam interioris Germaniæ haud ducant, rectiusque judicare videantur, qui propiorem Rheno Salam statuant. Nec illud modò, verum & hoc Dionis verba Straboni commodant, ut jam intelligatur Drusum non belligerantem & res adhuc gerentẽ, quod verba Strabonis præferre videntur, obÿsse, sed victoriâ partâ, & cum jam ab Albi versus hiberna recessisset. Nam & addit statim:* Cõtinuo retro ire cæpit, & in itinere, priusquam Rhenum attingeret, morbo decessit. *Quàm autem Rheno propinquus fuerit, antequam animam efflarit, ex eodem Dione cognoscitur, ubi memorat Augustum, qui haud ita procul, in Lugdunensi scilicet Gallia, aberat, ad famam ægrotantis celeriter Tiberium misisse,*

Dio eodẽ lib. 55.

qui

qui animam adhuc trahentem fratrem repererit, corpusq́ mox defuncti Romam deferri curarit; portantibus id principio ad biberna centurionibus ac militum tribunis, inde singularum in itinere urbium primoribus. Quapropter si Isalã antiquo & suo vocabulo extulisse Strabonem dicamus, non inferior fluvij pars, ubi Drusi fossa; at superior, quæ ab alveo Lupiæ amnis haud remota fluit, capienda. Atque ita recte explicasse Strabonem dicendi, qui Visurgim, Amisiam, Lupiam & Salam inter Germaniæ minora junctaque flumina habuisse eum prodiderunt, præsertim cum ipse Strabo, enarratis ad Albim superiorem Semnonibus, Hermunduris alijsque Germaniæ majoribus populis, hæc deinceps addat: Aliæ minores Germaniæ gentes sunt Cherusci, Catti, Gambrivij, Cattuarij; *Ad Oceanum autem* Sicambri, Chaubi, Bructeri, Cimbri, Chauci, &c. *Quibus continuo Visurgim, Amisiam, Lupiam Salamque flumina, atque illa de Drusi in eosdem populos bello, atque obitu hunc in modum subjungit:* In eandem cum Amisia partem feruntur Visurgis & Lupias, qui per Bructeros minores fluit, à Rheno distans 1ↄc. stadijs. Est & Sala fluvius; inter quem & Rhenum, bellum felici successu gerens, obijt Drusus Germanicus. *Hactenus Strabo. Nec abijsse multum ab hac sententia atque interpretatione jam olim videtur Althamerus doctissimusque Had. Iu-*

nius. Et nostro seculo clarissimum doctorumque doctissimum Isacum Casaubonum, qui quasi genios Græcorum authorum hodie possidet, eodem quoq; accedere vel inde colligere est, quod Salam hunc Strabonis eodem cum Visurgi, Amisia, Lupia itemque Dionis Alisone, tractu ex mente Strabonis definiat.

In Animad. ad Strab.

Iam quod addit: En Strabo inter Salam & Rhenum bellum gerentem obijsse tradit. Dio autem hac expeditione Chattos cum atque Cheruscos subegisse narrat. Horum igitur populorũ sedes ubi quæsieris? inter Isalam & Rhenum, in ea quæ Velavia Gelriæ pars dicitur? An vero inter Rhenum & flumen, quod hodie vulgari nomine *Sale* in Albim effunditur? omnino hic arbitror. *Hucusque Cluverus. Verum ad prius quod attinet, ostensum jam est non gerentem etiamnum bellum, sed ad mentem Dionis capiendum Strabonem, re scilicet feliciter jam gesta, Rhenum inter & Salam obijsse. Nam alias si res apud Cattos Cheruscosque solum gestas spectemus, nonne dicendum fuisset inter Rhenum & Albim? Deinde quod quærit an inter Rhenum & Isalam, in eâ, quæ nunc Velavia Gelriæ pars dicitur, Cheruscorum & Cattorum sedes quærendæ; nugatorium & inter lædorias habendum, cum nemo, quod quidem mihi cõstet, verba Strabonis eo traxerit, aut de inferiori unquam Isala interpretatus sit. Nec denique inter*

Salam

Salam ſuum & Rhenum hos collocat populos Strabo; ſed innuit tantum obiter poſt felicem prælio-rum eventum, &, ut Dio habet, ad ſuos jam regredientem, inter hæc flumina, Rhenũ dico & Salam, ſupremum diem clauſiſſe Druſum.

Cum ergo concludat Salam hic accipiendum, qui in Albim effunditur, eſſeque idem flumen, quod Tacitus in Hermunduris locet; Ex ſuperioribus patere jam puto, ultra Chattos & Cheruſcos haud progreſſum Druſum; ideoque ad Hermunduros, quorum, ut diximus, in majoribus Germaniæ populis, non autem in hac minorum gentium claſſe, meminit Strabo, haud referendum videri. Et poſtremo, quod omittendum haud eſt, non ad Albim, quò Sala influit, ſuperiorem, ſed inferiorem, progreſſum eundem Druſum ex Dionis jam ante citatis verbis liquet. Nam poſt quam dixiſſet: Inde in Cheruſcorum fines converſo itinere, Viſurgim tranſgreſſus omnia populando ad Albim uſque perrexit: *Addit inde continuè:* Qui *(ſcilicet Albis)* ex Vindelicis montibus profluens in Oceanum ſeptentrionalem magnus admodum factus effluit: hunc quum fruſtra conatus eſſet tranſire, trophæis excitatis receſſit: *quaſi dicat Albim, ea parte, verſus Oceanum, qua adeò magnus tumidusq; fluit, tranſiri à Druſo nequiiſſe.*

Atque ita ſarta adhuc tectaque eſto doctiſſimorum virorum ſententia Salam *in verbis*

Strabo

Strabonis ad minorum Germaniæ gentium, ut ipsum loqui Strabonem memoravimus, flumen referentium: Quod exinde, lapsu seculorum, per adjectitiam fortasse literam I. Isala *appellitari accolis cæptum hodieque vulgo obtinet. Sane prius fuisse fluenti vetus & primigenium vocabulum, etiamsi haud favere nobis Strabonis locus probaretur, clamitare quasi totus ille fluminis tractus videatur, ripæ præsertim inferiori proximus, hodieque* Sallandiæ *nomen retinẽs.* Sal-lãdia *enim, si interpretemur, nihil sit aliud quam* Salæ *fluminis, cui proximè adjacet,* tellus *seu territorium. Cui accedit, in crepidine quoq; fluminis viculum etiamnum collocari,* Sallic *nomine. Sed, de hoc cum alibi pluribus egerimus, hæc tetigisse hoc loco satis sit.*

Frisici littoris an olim cujusmodi hodie facies eædemque insulæ fuerint: deque *Castello Flevo* additum nonnihil.

CAP. XXIII. & XXIV. 32. *SEquentibus Capitibus 23. & 24. de Flevo varia adferuntur. Præter cetera, vult eundem planè fuisse antiquitus, id est, imperante Tiberio, aut his in oris res Druso gerente, Frisici littoris faciem easdemq; insulas, quæ hodieq; conspiciuntur: Nec id tantum, sed & lacus eosdem extitisse, Tacitoq; intellectos, qui nunc Hollandiam sparsim inundant, variisque nominibus nuncupantur, ut sunt,* De Waert/ de Schermer/

mer/de Bemster/de Wormer/ de Purmer/de Wijckmeer/ de Ye / Harlemer meer/Braſmeer/Vtermeer/ & *ſi qui alij minores.*

Verum quod ad poſterius , demonſtravimus ſupra Diſceptat. 24. & 25. quoſnam hic Plinius & Tacitus olim lacus aſpexerint intellexerintq́; Oſtendimuſq́; certis chronologorum allatis teſtimonijs, interiora maria & ſinum illum Auſtrinum, quà præſertim introrſus vergit, poſt ævum Romanorum maxima ſui parte enatum, gentiũq́; quarum nunc ſolum & loca quærimus, ſedem pro parte fuiſſe.

Iam ad prius, id eſt, Friſiorum littus quod attinet, ſi & hic ire per annales & acta antiqua libeat recolligere, quã alia multa & immutata labentibus ſeculis deprehendamus! Nam primo, ubi locorum hodie inveniendus ille fluvius Burdo, quem Aimonius in Friſiis collocat, cum caſum ibi à Martello Rabodum Friſiorum regem memoret? Adeo ut haud obſcura conjectura hariolatus ſit nobiliſſimus vir Ianus Douza Nordvici olim dominus, ejus fluenti ſupereſſe nunc tantum , abſumpta continente , veſtigium aliquod aut ſaltem tenues nominis reliquias in illo gurgitis alveo , qui Amelandiæ & Schellingiæ inſulas interjectus vocabulo Boerdiep *pinacibus hydrographicis & navigantibus hodieque eſt cognitus. Cui accedit quod Vieringa inſula, quam nunc longo trium milliarium intervallo*

2. Annal. Holland.

vallo à Thessalia mare dividit ante annos quadringentos, & quod excurrit, eidem Tessalia cõtigua fuerit, ut refert certoque certius affirmat, Had. Iunius, intermedijs à mari absorptis interea & adesis funditus. Et ut ad antiqua illa secula veniamus, ubi nunc Flevum, quod Tacitus castellum, Mela insulam vocasse videtur introrsus in ipso Flevi lacu collocatum? cum inquit: Rhenus ad dextram primum augustus & sui similis, post ripis longe lateque recedentibus, jam non amnis sed ingẽs lacus apparet, ubi campos implevit Flevo dicitur, ejusdem nominis insulam complexus, fit iterum arctior iterumque fluvius emittitur. *Nam ibi præterquam quod Isalam, ut & supra ostendimus, Rhenum nominat, hoc insuper ait, Flevum, aut, ut ipse appellat, Flevonem, postquam insulam sibi cognominem constituisset, non in Oceanum statim egressum; sed arctiorem post factum, fluvijque in modum in Oceanum tum demum, compresso, intra scilicet Schillingam & Flevum hodieque superstitem, alveo emissum.*

Hujus Flevi quod & alibi nobis notatum, hodieque superesse vestigia existimo in vado seu æstuario, quod pinaces appellant, t'oudt Vlit/ *atque ibi castellum, quod dixi, Tacito nominatũ, stetisse. quamvis Cluverus ad extimum & hodieque superstitem Flevum referat. Ubi tamen ad compescendos, cum transrhenanos, tum ceteros in*

ros in

rosin insulis Rheni Frisios minus oportunum minusque usui esse potuisse nobis videatur, utpote in ipso vasti Oceani littore collocatum semotumque. Sed ipsa Taciti verba advocanda sunt: Olennius, *inquit*, infensos Frisios fuga prævenit, receptus castello (*è continenti scilicet*) cui nomen Flevum & haud spernēda illic civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat. *Quo loci licet littora nominentur, de veteri nihilominus Flevo interius nonnihil versus continentem reducto, sed littori tamen quam proximo, intelligi quam cōmodissime posse, quod obstet non video: præsertim cum non unum hoc, sed & plura ibidem castella, paucis interjectis, nominet Tacitus, incensa à præfectis cohortium Romanarum, postquam eorum excidijs juncti Caninefatibus imminerēt Frisii, duce Brinione. Si qui tamen diversum sentire malunt, illis libenter suum permitto. Contendere enim & digladiari super ejusmodi, quæ expressis authorum verbis haud liquent, animus nunquam fuit nec erit.* Lib. 4. Annal.

Vidrus pro *Visurgi* apud Tacitum 2. Annal. nequaquam legendum. *Amnis* pro *Rheno* ἁπλῶς Tacito.

HOc Capite, inter alia, Cluverus de Vidro se- CAP.
riam & operosam diatribam resumit, quo XXV.
nimirum 33.

nimirum evincat , *quod superius injecerat, in Taciti illis verbis:* penetratumque ad amnẽ Visurgim,*legendum* , ad amnem Vidrum: *non audiens scilicet eos,qui(quod & nos jam ante per occasionẽ innuimus)* Visurgim *ibi prorsus loco non suo legi,esseque glossemation;* & τὸ amnem ἁπλῶς,*de* Rheno *seu Isala* , *quo ante nimirum Germanicus classe contendere se indicaverat,esse accipiendum. Itaque Cluverus ad ista Taciti*: lux reddidit terram: penetratumq; ad amnem Visurgim , quo Cæsar classe contenderat, impositæ deinde legiones, vagante fama submersas;nec fides salutis antequam Cæsarem exercitumque reducem videre,*primò monet Cl. V. Iusto Lipsio jã olim notatum τὸ* Visurgim *ei loco & narrationi omnino non convenire;cum non ad Visurgim, sed,relicto jam Visurgi & Amisia; ad Rhenum reditum moliretur Germanicus* : *ideoque suggestione magni cujusdam viri* ; *qui* Visurgim *glossemation censuerat* , *rescribere; quem dixi, Lipsium,*penetratumque ad amnem , quo Cæsar classe contenderat:

Post deinde Lipsium magnũq; illum virum ait idem quoque statuisse Iosiam Mercerum.

Quibus relatis,& ipsis quoque doctorum illorum virorum verbis prolixe positis , *tandem hæc addit*:Sic tres isti : Ego vero nec Mercero fateor delendum τὸ *Visurgim*,neque magno (quisquis sit aut fuerit) illi viro assen-

assentior; corrigendam autem mendosā corruptamque vocem *Visurgim* in *Vidrum* (cui propius accedit scriptura mei Codicis *Visurgum*) quàm maximè adsevero. *Quo posito atque adseverato, nonne jam Hercule major Cluverus? Nam nec Hercules adversus duos; ille ne trium quidem rationem habet. Sed addit porrò:* Vis rationem expediam? obsequar libens. Germanicus postquam partem equitatus littore Oceani Rhenum petere jusserat; ipse classe ab Amisia profectus Rhenum repetere instituit, per vadosum mare & lacus. *Quæ etiamnum bene. Deinde ait:* Quum autem metueret ne idē sibi eveniret, quod quondam Druso patri qui Oceani defluxu in sicco destituebatur, duas legiones itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradidit scilicet eadem via, qua ante equitatus partem ire mandaverat, littore Oceani: ne si mediterranea transiret à Frisijs læderetur. *tandem concludit*: Vitellius igitur littore Oceani profectus post multas ærumnas exantlatas damnaque accepta, tandem ad Vidrū flumen penetravit, quò Germanicus legiones ducere jusserat. *Quid ais Cluvere? Germanicusne ad Vidrum proficisci legiones monuerat? Et ipsemet eadem classe cōtendit? Quid? nonne manifesto pugnantia hæc ijs, quæ paulo jā ante, & rectè, ex Tacito recitaveras, Germanicū*

nempe partem equitatus littore Oceani Rhenum petere *jussisse; & ipsum classe ab Amisia profectum similiter Rhenum repetere instituisse, eodem terrâ præmissis duabus legionibus P. Vitellio ducendis, eâdem scilicet via, quâ equites ire præceperat. Audisne Cluvere* Rhenũ *perpetuo*, Vidrum *nusquam; ad Rhenum, inquam, tuâ ipsius confessione, non Vidrum, contendisse Germanicum? quomodo itaque hæc clausula tua*, tandem ad Vidrum flumen penetravit, quo Germanicus legiones ducere jusserat, *locum habet? aut quo spectat, nisi evertendis à te ipso jam prius allatis? Quæ autem addis*: Quòque ipse Cæsar classe contenderat, milites, qui Vidrum, quum pōs nullus esset, transire nequibant, in naves excepturus, atque Rheno subvecturus in castra. *Hæc, inquam, Vidro nequaquam, sed Isalæ, quem, ut ante monstravimus, modo Rheni, modo amnis vocabulo simpliciter & ἁπλῶς passim afficit Tacitus, optime respondent. Nam Vidrum non flumen, sed fluviolum, quis credat duas instructissimas legiones & partem equitatus, in omnem eventum & occasionem ad manus & in promptu non habuisse, aut ex tempore, quibus transiret, aptare sibi nequisse; ut opus scilicet foret illis excipiendis classem totam eò flectere? Credat Iudæus Apella, non ego.*

Conclu-

Concludimus itaque τὸ Visurgim, *ex scriptorum imperitia , & quia sæpiuscule in hac historia & expeditionibus Germanici occurrat , ut glossulam, subrepsisse , atque omnino expungi ac legi debere , ex sententia etiam trium illorum doctissimorum, quos dixi, virorum :* penetratumque ad amnem , quo Cæsar classe contenderat : Ad amnem *scilicet Rhenum, jam sæpius ante nominatum atque indicatum; Rhenum, inquam, quem suo & vernaculo nomine nunc Isalam dicimus : atque ibi obvia classe exceptas legiones equitesque unà cum ipso Cæsare in castra ac hibernacula deinceps subvectos. Ita autem* ἁπλῶς *&* κατ' ἐξοχὴν amnis *voce* Rhenum *dici , præsertim ubi de Rheno , sicuti hîc, sermo jam ante fuerat , Tacito frequens & usitatissimum esse non unus locus ostendat. Nam & quinto historiarum , ubi de Rheno postquam locutus fuisset, tandem post multa addit ,* cujus objectu, revolutus amnis, &c. *Quæ aliaque, legenti obvia passim, huc adducere ac recolligere longum nimis foret.*

De *Marsatijs*, eorumque occasione de *Frisiis* item, qui *in Rheno*, &, *trans Rhenum*, paucula iteratum.

I*Nter gentes Plinio in Rheni insulis nominatas agmen claudunt Marsatij. Horum , quod & supra innuimus , una cum Chaucis &* CAP XXVI. 34.

Sturiis seu, ut legere Haemrodium indicavimus, Vriis, in mari, prout hodie res sunt, quod Austrinum vocant, Gojolandis & Velavia sedes, ut videtur, quarendæ: adeo ut territorium suum per Austrinum illum interiorem sinum, Velavos et Amstelandos Gojolandosque magno flexu versus Rhenum medium & Caninefates circumduxisse putemus. Sane Vricha adhuc insula, nunc, ut supra posuimus, **Vrck** *populariter nominata, in illo, quem dixi, maris Austrini sinu haud leve vestigium veterum Vriorum nobis exhibet. Sed de iis cum jam ante satis superque, & suo loco, egerimus, hoc tantum de Marsatiis seorsim addã, eorum veluti reliquias & memoriam ostendi atque excitari in pagis Trajectinæ ditionis* **Marsen** *&* **Marsberge** / *Velaviæ propemodum adsitis. Vt ita Plinius in enumeratione harum septem Rheni gentium seu insulanorum, hunc flexũ & ordinem tenuisse videatur, ut, primo loco positis Batavis, Caninefates proximos fecerit: his Frisios & Frisiabones: atque inde ab illis ad Austrinum tractum per Velavos, superiori Bataviæ parti (vulgo nunc* **D' ower Betouwe** *appellatur) oppositos, Marsatiorum in iis, finito veluti circuitu & ad Batavos, unde initium fecerat, regressus, sedes terminaverit. Quem Plinii ductum, etiamsi, quod ad Marsatios, parum aut nihil dissideamus, invertit ac turbat Cluverus, dum intra Rheni medii cancellos Caninefates cõpingit: dumque ultra eundem alveolum omne*

Rhena-

Rhenanum nomen deletum atq; innominatum cupit, nec ullum minorum majorumq; Frisiorum, hoc est, eorum, qui in Rheno *insulani Plinio; & eorum, qui in continente adhuc Germaniæ sũt,* trans Rhenum *eidem Plinio & Tacito, aspectu scilicet Rheni, quem Isalam nunc dicimus, discrimen & interstitium constituit; utramq; scilicet nationem Rheno ut interpretatur, medio prætexi in solo Germaniæ intelligens. Quapropter quoq; ut fines & terminos ejusdem Rheni tueretur, Plinium rescribere aggressus trium populorum vocabula, Chaucorum nimirum, Frisiabonum & Sturiorum destinato ausu expungere, reluctantibus tam scriptis quam excusis codicibus, haud dubitavit, quo ita in universum Frisios intra Flevum adusque Rhenum medium sternendi ac deducendi locus esset. Nec, illud dum agit, animadvertisse videtur & sibi & Plinio cõtraria se machinari: sibi, quia in chorographica sua tabella non omnes Frisios majores, intra Flevi seu Rheni Boreale ostium, sed extra etiam colere potiores facit in solo nimirum continentis Germaniæ ad Amisiam usque: Et Plinio deinde, qui* intra Flevum in Rheno, *ut habent diserte ejus verba,* sterni Frisios *suos omnes, ut pote insulanos, signate posuit, ceteros continentis incolas, Flevi, Borealis Rhenani ostij, aspectu,* trãs Rhenum *indigitans. Vt ita Cluverus cum id ipsum quoque Flevum Rheni ostium agnoscat, testante vel titulo* Commentarij *ipsius* de

tribus Rheni ostijs, *& tamen qui intra idem ostium sunt Frisii non* in Rheno, *ut Plinius, sed trans Rhenun asserat, sibi haud vice simplici nec semel contraria loqui cuivis jam esse manifestum existimo. Verum cum & hæc superius fuse satis indicata absolverimus, ne idcirco actum videamur agere, & Cramben, quod dicitur, recoquere, tantum Plinij verba, cujusmodi ea omnium codicum exemplaria referũt, apponam; & quomodo vicissim eadem citet ac rescribat, etiam hic de Marsatijs agens, Cluverus. Ait ergo Plinius:* In Rheno ipso C. prope M.P. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum, ita appellantur ostia in quæ effusus Rhenus, &c. *At Cluverus, ut dictum, ita hæc eadem rescribit citatq;* : In Rheno ipso C. prope M. P. & aliæ Frisiorum maiorum, Frisiorum minorum Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum, &c. *Cui lectioni si locus sit, nonne manifesto* maiores minoresque, *id est, omnes in universum* Frisii in Rheno *constitui* sternique inter Flevum Heliũq; *dicentur? Quod an sinant hodie Frisii, Cluverus viderit. Nec hoc tantum sed & illud, si enim, ut verba jã Plinij posita habẽt,* in Rheno *intra Flevũ sint, quomodo ergo et trans Rhenũ ij-*

dem

de esse possunt, ut passim urget? Dicet forte trans Rhenum esse, hoc est, trans medium Rhenū: *At unde hæc distinctio nisi ex cerebro tuo Cluvere? Sane Tacitus aut Plinius aut veterum quisquam nusquam ita locutus? Diserte enim Plinius* in Rheno *& Frisios & Marsatios agnoscit*. in Rheno, *inquam, ut ita eorum Frisiorū aspectu qui in Rheno, reliqui in* Rheno *non existentes* transrhenanus populus *Tacito, &* trans Rhenum *eidem Plinio fuerint, ut ante jam iterum iterumque commonstratum hic repetere prolixius studio omittimus.*

Sed de Marsatijs postquam Cluverus Taciti verba, qui non ut Plinius, Marsatios *sed* Marsacos *appellat, adduxit, hæc tandem subijcit:* Ego vero Caninefatibus, Batavorum insulam colentibus, confines fuisse Marsacos, audacter ex hac Taciti coniunctione atque constanter adfirmo. Auctorem habeo suasoremque Plinium, qui in Rheni insulis eos collocat. *Vbi & denuo notandum, quod etiam* in Rheno Marsatios *collocet, sui similiter, quemadmodum de Frisiis diximus, oblitus, quum diserte* trans *aut* ultra Rhenum *eosdem colere faciat pag. 147. cap. 17. Commentarij sui, ubi inquit:* Heic autē nulli, nisi qui in insula Rheni, Batavi, atq; Caninefates, & VLTRA RHENVM Marsatij. *Si* ultra Rhenum, *Marsatij illo Capite tibi fuere, cur hic* in Rheni insulis *ijdem tibi Cluvere sunt?*

An dices suasore authoreq́; Plinio id te facere, quod nec facis nec probas? Vides quibus te undiq́; pedicis implices, dum errorem errore & ἀτοπίαν ἀτοπίᾳ cumulas.

Locus autem Taciti, in quo Marsaci *non, ut dixi,* Marsatij *scribitur, ita habet, quarto historiarum:* Cl. Labeo quem captum, & extra conventum amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit. pollicitusque, si præsidium daretur, iturum in Batavos, & potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum: accepta peditum equitumq; modica manu nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum, Bethasiorumque in arma traxit. Et furtim magis, quam bello Caninefates Marsacosque incursabat. *Hunc locum & verba secutus Hubertus Thomas Leodius in eo libello, quem de Tungris & Eburonibus conscripsit, Nervijs Bathasiisq́; finitimos ac propinquos Marsacos putavit. At hoc si detur, sane & Caninefates ijsdem Nervijs Bethasiisq́; exstitisse finitimos concedendum simul, imo potiore jure videtur, quia præponũtur in illa narratione Marsacis. Sed hoc a vero quàm alienissimum esse, superius, ubi de Caninefatum ditione, egimus, satis patere potuit. Hoc potius ex Taciti verbis concludi posse existimo Marsacos & Caninefates haud dissitis inter se spatijs egisse. Nã si verum est, quod ait Haemrodius, in arctum hodie*

Tacitus 4. histor.

die Caninefatum seu, ut nunc vocamus, Kennemariorum nomen ex principatuum diversitate ac divisione contractum; et olim, id est, antiquissimo illo seculo adusq; Goiolandos & Trajectenses, ut hodie appellamus, protensam fuisse gentē, quis non videt Marsacis, ut ante definivimus, circa Velaviam, & illam Austrini sinus oram, quam proximos fuisse Caninefates? Quamvis idem Haemrodius, necnon & Iunius, ad illum gurgitem, qui **Marsdiep** *navigantibus & pinacibus hydrographicis nominatur, Marsatios referant. Quod vocabuli an ex reliquijs gentis aut ex gentis potius frequentatione & usitato in Occiduum & Borealem Oceanum per illum exitum progressu enatum sit, silentibus temporum annalibus, quod dicam certi non habeo. Illud interim extra controversiam & semel definitum esto, totam eam à Caninefatibus ad Oceanum circumquaque quam latissime patet, oram, ut ante demonstratum est, nationi Frisiorum, quos in Rheno Plinius locat, ad ipsius Frisiæ continentem usq; inhabitatam antiquitus fuisse.*

Omitti postremò ad conclusionem diatribæ huius haud debet, etiamsi observatum quoque alijs, non Marsatios *tantum Plinio, &* Marsacos *Tacito, sed &* Marsaqueos *hunc populum jam olim Romanis nominatum: idque ex antiquo marmore intelligi, in quo hæc Romæ in vico Furni leguntur:*

I 5 D. M.

D. M.

T. HORTESIO. MVCRONI. NAT.
MARSAQVEO. VIX. AN. XXXXV.
ÆL. VERINVS. ARM. CVST.
EQV. SING. AVG. FRA-
TRI.

F. C.

In Thesauro Geograph.

Quibus adde Ortelij hæc idem fere, quod nos superius, statuentis: Ego **Marsen** pagum (qui milliare distat ab Vltrajecto) horum (*Marsaquorum*) nominis memoriam conservare credo. Lectionem certe, neque interpretationem Leodij probare queo. *Quod vel ideo prolixius adscribo, quia hoc ipso Capite Cluverus Ortelio Verrutij opinionem, qui* **Marcken** *insulam* ad Marsaqueos *retulit, falso attribuat. Ita enim habet:* Ortelius siccam referens humum, ubi lacus, ut ante dictum, depingendus erat; eodem tractu eos collocat, ubi nunc **Marcken** parva insula ante oppidum Monachodamum conspicitur, &c. *Quibus in verbis bis impingit Cluverus, primò, uti & ante ostensum, quod lacus & mare in sinu illo Austrino interiori jam olim, ævo nimirum Romanorum, fuisse velit, cujusmodi nunc conspicitur; tum quod Ortelio tribuat, quæ ille ex opinione, non sua,*

sua, sed aliorum posuit, cum ipse, uti ipsiusmet verbis jam relatum est, non Marcken / *sed* Marsen/ *præter cætera, memoriam & nomen, in his oris Marsaqueorum tueri asserat.*

In Germaniæ etiam continenti, ne vel id quoque indictum sit, Marsorum vocabulum durare hodieque indicio sunt Othmarsen *in vicino nobis tractu; & ultra Albim, circa Cimbricam Chersonesum,* Dithmarsen/ *ut omittam Italiæ denique* Marsos, *qui alibi referendi, nec hujus loci sunt.*

Epilogus; cum Plinii, quæ pugnantia videntur, itemque Taciti verborum enodatione.

H*Actenus cum Cluvero res fuit. Nunc illud præterea adjiciam: Plinius cum duo, ut sæpe jam ante verbis ipsius memoratum, Rheni ostia agnoscat, Helium occiduum & Boreale Flevum osque intermedium modici alvei, quomodo tamen septem, quos enumerat, populos atque insulas illis alveis concludat? Nam sanè esto alveus sive rivus inter extima duo ostia medius, sintque cis & ultra eundem, versus utraque extrema, diversi accolæ ac gentes an duabus plures, duorum, quæ medius ille alveus conficit, interstitiorum aspectu, gentes invenientur? Deinde Tacitus Rheni decursum divergiaq; proponens 2. Annal ait in duos veluti amnes eũ dividi* Ibidem. 25.

dividi servareq́ violentiam cursus, quà Germaniam prævehitur; ad ripam Gallicam placidiorē adfluere, Vahalis cognomento, medij illius & modici Pliniani alvei haud meminens. Quis hic Tacito Batavorum insulam, cæterosque Plinio enumeratos populos puta Caninefates, Marsatios aliosque unâ veluti insula concludi non putet, ut Iunius Haemrodiusque tradidere? Quāvis uterque interim ostij medij & Vahalus circuitu Batavos accipiat. Itaque Tacitus eo loci, ut & obiter supra injecimus, deducturum in Oceanum & Amisiam classem & legiones Germanici, ea præsertim ostia & alveos, qui navigeri & transmittendum ad bellum in oras Germaniæ commodi essent, præcipueque per quem commeandum classi erat, Borealem ponere voluisse videtur: Licet alibi seorsim agens de prima Cattorum in agrum Batavorum migratione insulam Rheno et Oceano circumfluam agnoverit. Sed verba quia difficultate non carent, ob codicum & lectionis vitium, ipsa ponam: Batavi donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergū & latera circumluit. *Quidam hic libri*, insulam vocatam sitam; *alij*; insulam Vacasitam. *alij denique*, insulam juvata sitam *habent. Sed* insulam intervada sitam, *ut posui,*

Lib. 4. histor.

ſui, vulgo reſervatur, explicaturque nõ uno modo. Nam ad primum gentis in inſulam adventũ ſi referamus, ut quidam cenſent, vada & brevia videntur haud pauca fuiſſe à parte inſulæ dextra præſertim; quæ & Cæſar quoque videtur agnoſcere dum poſt amnis divergium capita ſive exitus plures commemorat. Et certè, cum aggeres nondum aut certa ripa flumen coercerẽt, quid mirum ſi latè ſe ac vagè diffuderit? At accedẽte poſtmodum incolarum induſtria & cura nec non foſſili Druſi Rheno aliĳſque ducum Romanorum molitionibus atque operibus, quæ à Gallicâ ripâ & humentibus Batavorum paſcuis verſus Boreale oſtium Rhenum deducebant, nova exinde rerum facies exorta. Adeò ut hinc pro parte factum, ut dextrum illud ſeu medium amnis fluentum Pliniĳ ætate modicum & ſibi diſſimile; Tacito poſtea, Rheni vocabulo, ut ante oſtenſum, Iſalam paſſim & Vahalim honoranti, veluti præteritum atque innominatum, hoc eſt, ſeorſim & ſolum, ut medium, quemadmodum Plinio, haud indicatum fuerit; & noſtro denique ſeculo quæratur nec inveniatur, quod ad oſtium præſertim, niſi nomine ſuperſtes: quod alteri denuo, Iſalæ inquam, detractum eſt.

Et iſta quidem ita ſe habeant licet; manet nihilominus ex Plinio motus ſcrupulus, qui intra bina extrema oſtia, & os, ſive alveum, medium, non duas, quod ratio tamen dictet, ſed ſeptem inſulas populoſque ſterni tradit. Nos in re obſcura & tan-

& tanto seculorum decursu involuta, nec authoribus liquido tradita,(præsertim si & solum, de quo loquimur, palustre & fluxile respicimus) ejus propemodum sententiæ sumus, Plinium præter legitima, Boreale & occiduum, ostia, quæ hodieque adhuc locum & nomen tenent; medium & modicum hunc alveum ita notasse, ut elicum ex eodem hinc atque inde in insulas exitusque tenuiores se effundentium rationem non habuerit, sed gentium præcipuè illis incolentium. Et sane nonne & Cæsar huc vocat, qui, ut monstratum, bis in Oceanum *Rhenum deducit, primò à parte Vahalis cum Mosa; atque inde à parte altera seorsim multis capitibus? Sed, ut dixi, cum Plinius obiter & indistinctè hæc tradat, Tacitus aliique sileant, & longo insuper temporum fluxu res mutarint, ne itaque in tenebris, Andabatarum more, stilum ventilemus, sufficiat beneficio extremorum & medii alvei populos hodieque superstites suis locis ostendisse; sufficiat in* Rheno *extraque Rhenum Plinio Tacitoq; intellecti quinam fuerint cæteraq; huc spectantia liquidò indicasse. Ad prætermissa itaque superius* Capita *gradum nunc feramus.*

REGR.

REGRESSIO

Ad superius prætermissa Capita : & primò ad Caput XIII. de Batavorum opidis, Castellis & vicis.

Vide supra Discept. 23.

SVperatis salebris, & veluti complanatis illis ex sinistrâ interpretatione difficultatibus, quas in verbis Plinianis libri quarti Capitis decimiquinti, atque inde ipso in Tacito aliisque passim authoribus moverat Cluverus, nunc ad illa, quæ seposuerat seorsim tractanda, de Batavorum castellis, vicis, origine, militia aliisque talibus orationem flectamus. Ait Cluverus: Primum hoc ex historiarum lectione animadverti, omnia Romanorum præsidia, omniaque castra, ad Rhenum amnem, per Gallicam ripam, tanquam in tutiore provinciæ pacatæ solo directa fuisse. Sic castra fuere Vindonissæ, Maguntiaci, Bingij, àd aram Vbiorum, quæ postea Bonna, Coloniæ Agrippinæ; Novesii, Asciburgi, ad Vetera; Batavoduri in insula Batavorum, & duarum cohortium castra in eadem insula, à Brinione Caninefatibusq; expugnata. Contra verò in ulteriori ripa haud facile una ad id temporis cōmonstraveris. *Hactenus ille. Vbi primo histor. lectione compertū se ac ratū habere putat, omnia Romanorū præsidia in Rheni Gallica ripa cōstitisse. At Floro quid respondebit, qui diserte, præter ea præsidia et custodias, quas per Mosam flumen, per Al-*

CAP. XIII. 26.

Pag. 108.

per Albim & Visurgim disposuerat Drusus, etjam per Rheni ripam quinquaginta amplius castella ab eodem directa refert? Quid Dioni? qui ex Drusianis illis castellis in ulteriori, id est, dextra Germanica Rheni margine, Lib. 54 *stetisse duo dicit, his verbis:* Ex eo Drusus vicissim, ijs contemtis, castellum contra eos ad Lupiæ & Alisonis fluminis confluentes, aliudque in Cattis ad ipsum Rhenum extruxerat. *Quid tandem Tacito? qui & prioris à Dione positi meminit 2. Annal.* Cuncta, *inquiens*, inter castellum, Alisonem & Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita. *Duarum vero cohortium castra, sive, ut ipse Tacitus loquitur, hiberna, nequaquam in insula Batavorum, seu, ut alibi Cluverus, in Rheni medij ripa, sed Flevum circa fuisse jam ante monstratum est: ubi & insula & Flevum castellum, utpote in limite & termino Galliarum, disertè Pomponio Melæ & Tacito 4. Annal. memoratum, & ipsi Cluvero repetitum descriptũq; cap. 29. Quam ergo ex vero & historiarum lectione certus hic concludat in ulteriori ripa, & infra amnis scissionem extra medium Rhenum* ne una quidem Romanorum castra aut hiberna commonstrari posse, *ipse jam videat. Diserta enim iterum sunt ejus verba huc respicientis cap. 25.* Castra quidpe Drusi præsidiaque Romana in læva medij Rheni ripa CUNCTA directa fuisse supra demon-

monstratum est. Cuncta, *inquit, haud memor scilicet eorum, quæ in adverso Rheno, ex Dione jam attulimus, nec rationem habens hibernorum Romanorum & castellorum in ipso Flevo; id est, in limite extremo imperij & Galliarũ, uti jam modo, & superius quoq; indicavimus.*

Porrò quod addit, Arenacum, Vadam & Grhinnes *non eo quo nunc conspiciuntur loco, sed in ipsa Batavorum ex adverso insula, citeriori nimirum in ripa, stetisse; si prioribus, & nũc allatis, firmiora non sunt, plumbea sanè sint. Nã de oppugnatione Civilis quæ adfert ex Tacito nequaquam rem demonstrant, sicuti nec alterum argumentum ex Antonini Itinerario & tabula incerti authoris, allatum quidquam urget. Nam quod ille iter Lugduno Batavorum Coloniam Agrippinensem versus describens, Albiniana, Trajectum, Mannaritum & Arenatium in eo collocet, Taciti Arenacum eò intelligi quis certò colligat? Nam & hodieq; non procul Neomago intra Culeburgum & Thilam in ipso Batavorum agro accuratiores Chorographicæ tabulæ* Arichum *nobis exhibent.*

Postremo cum ait : Quod ad Grhinnes vocabulum attinet notanda est in transitu pervicacia Had. Iunij, qui ex more suo enodandi vocabulorum significationes, cõtra omnes authores, contraque õnes authorum libros, mavult legere *Rhenos*, quia locus iste Rheno flumini apposi-

K tus,

tus, unde nomẽ traxisse censet. Sequitur forte in eo Noviomagum, qui eandem lectionem probat: *Videturne cuiquam tam acri castigatione hic dignus Iunius ex* Grhinnes, Rhenes *conjectans, ut pervicaciæ notâ inuri debeat? Quæ enim hic pervicacia, aut, animi obstinatio; aut, quod est proprium pervicacium, pertinax in errore perseverandi propositũ? Nam ubi Cluverus, aut ante Cluverum alius quispiã, quid* Grhinnes *esset docuit, aut* Rhenes *quamobrem nõ conveniret, ostendit?* Rhenes, *inquam, non, ut citat Cluverus*, Rhenos *Iunio scriptum nusquam aut pictum, sed affictũ à Cluvero. Sed, inquies, contra omnes authores omnesq́ authorum libros ita legit. Esto, libros authores non habeat, interim rei verisimilitudo, tum & vocularum, ut ita dicam, paritas, & loci deniq́ hodierna nomenclatura,* **Rhenen**/ *nonne huc ducũt? imo & ipse Noviomagus tuus nonne, ut ipse fateris, idem ante Iunium probavit? Noviomagus, inquam, tibi tam solenniter alibi laudatus, utpote* qui unus ante te, *ita enim loqueris pag. 20.* Batavorum agros recte designavit. *Sane viveret hodie Iunius nonne vicissim tibi, idque meritissimò, qui ita immerentem exagitas, opponeret, te, non voculæ alicujus immutata literula, hoc aut illo pacto contra libros legere, sed integra, præter alia, authorum loca invertere, & populorum ac fluminum nova vocabula, deletis receptis ac rectis substituere? Nec hoc tantum, sed & Plinio & Ptolemæo res sui ævi

& alijs consentientia asserentibus contradicere & oppedere, allatis in contrarium nec authore nec argumentis vel minimum demonstrantibus, ut supra ostensum est?

De munimento, quod ad Rheni obstructum os, freti undis absconditum jacet; t'Huys te Britten hodie.

P*Orro pergit Cluverus, & præter castra sive vicos* Arenacum, Vadam, Grhinnes *&* Batavodurum, *quos, ut indicavimus, intra finitionem & terminos agri Batavici fuisse voluit; duo insuper in eadem insula, hiberna sive castella addit, quorum & ante mentionem injecit, à Brinione Caninefate expugnata & apud Tacitũ scil. in hunc modũ relata*: Statimq; accitis Frisijs (transrhenana gens est) duarũ cohortium hiberna, proximo occupato Oceano, irrumpit. *Mox*: Capta igitur & direpta castra, dein vagos & pacis modo effusos lixas, negotiatoresq; Romanos invadunt. simul excidijs castellorum imminebant: quæ à præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque & quod militum, in superiorem insulæ partem congregantur. *Et paulo post*: Civilis dolo grassandum ratus, incusavit ultro præfectos, quod castella deseruissent. se cum cohorte, cui præerant, Caninefatem tumultũ cõpressurum. illa sua quiq; hiberna repeterent.

CAP. XIV. 37.

Lib. 4. Histor.

Hactenus Tacitus. At q; hinc Cluverus, quia nimirum duarum cohortium meminit, bina etiam hiberna fuisse duoq; castella juxta sita concludit. ut scilicet castelli vox locum significet juxta castra in oppiduli vicem conditum; ubi lixæ & negotiatores militibus quotidiano usui necessaria vendentes commorarentur. Addit deinde his: Quia in Rheni ripa cũcta castra fuisse supra demonstravimus; horum altera ad ostium Rheni *(medij scilicet)* in ipso littore extructa; altera supra illa, haud procul tamen Oceano. Quapropter proxima Oceano & ostio Rheni, eodem situ fuisse facile dixerim, ubi nunc antiquissimi rudera munimenti, freti undis abscondita jacent; altera autem, ubi Lugdunum Batavorum conspicitur. *Hucusque Cluverus; Quæ omnia ex antecedentibus quàm facillimè jã confutari posse inde liquet, Quia primò in Rheni ripa adversa, præter ordinaria ad Rhenum præsidia, bina castra sita fuisse ex Dione & Tacito jam modo commonstratum sit: & infra deniq; Rheni divortia non in Rheno medio, sed extimo Boreali* Castellum Flevum *Frisiis oppositum agnoverit Tacitus 4. Annal.* ubi simul haud spernenda civium sociorumq; manus littora Oceani præsidebat, *ut ipsa habent verba, quem dixi, Cornelij Taciti: Adeò ut haud alia castra, aliaq; hiberna, quàm hæc ipsa, etiam 4. historiarum, loco jam citato, intellexerit, ei-*

rit, eidem Oceano proxima. Quam itaq; rectè ad Lugdunum Batavorum & illam arcem sive munimentū, quod in ostio medij Rheni fuerit, Brittenburgum, hæc trahere Cluverus conetur, quivis jam videt: ut omittam, quæ supra nobis, præter cetera, posita de classe & navibus, quas, ut habetur in eadem apud Tacitum narratione, incensis castellis, ad insulæ Batavicæ superiorem partem Romani appulerant; Ea aliaq; esse ejusmodi, quæ neutiquam modico illi Rheni alveo & ostio medio, sed Flevi lacubus & Rheno extimo tantum respondeant.

Iam quæ deinde subnectit de ipsa arce, medio illi, ut memoratur, ostio apposita, quam Annales Hollādiæ Brittenburch / *ipsi accolæ* t'Huijs te Britten/ *indigetant, quia prolixiora sunt & conjecturis ut plurimum innitentia, ac deniq; ab amico ac familiari nostro Cl. V. Petro Scriverio in Antiquitatis Tabulario sic satis discussa, prætermittimus, illud tantum obiter adjicientes, vocabulum arcis cum antiquitatis testimonium certum non habeat, verisimile videri, si quis ab ipsa re* Brittenburch *appellatam dicat: Quum enim Hadrianus Iunius doctissimus Bataviæ alumnus, ut eum celebrat doctissimus vicissim & Britanniæ suæ singulare ornamentum ac decus Guilielmus Camdenus, quum, inquam, Britannicam Plinij herbam ad vocabulū* Britten *revocarit, quod copiose in cespitibus proveniat, quos* Britten *nostrates vocant, & è qui-*

bus contra Oceanum aggeres exstruunt, neutiquã dico absonum sit, quod idem Cãdenus primus injecit, si quis hanc **huijs te Britten** *ad eandẽ originem referat: scilicet ita nuncupatam fuisse, ut contra incursantes undas, oppositis aggerum molibus, è cespite sive* **Britten** *munita fuerit, quas cum Oceani violentia intercidisset, etiam ædificiũ depressisse videatur. Hæc nostra adsentientis accuratissimo Camdeno sentẽtia sit, quod ad etymon Brittenburgi attinet; quamvis an idẽ vocabulum* **Britten** */ ut hac occasione illud interseram, ad herbam illam, de qua Iunius,* Britãnicam *Plinio nominatam, transferendum sit,* ἐπέχειν *facit, quod eam herbam Frisii trans Rhenum, ubi tunc castra Germanici erant, suo idiomate sic nominatam Romanis monstrarint, ut memorat Plinius. At hodieq́ Cochleariam herbã (quam ita doctis nostratibus Latine vocare placuit, quod instar cochlearis non admodum profundi, concava habeat folia) cum similiter à forma* **Brepanne** *Frisii vernacula voce appellẽt, quod testum sive sartaginem foliola referant, an, illius, inquam, Frisicæ voculæ* **Brepanne** *sonum magis, & vocis allusionem quam ipsam percipiens Plinius* Britannicam *suam formarit, dispiciendum alibi eruditis injecimus.*

Lib. 25. cap. 3.

Lib. 2. cap. 22. Rerũ Amstel.

Concludit postremo Cluverus: Notandus est hoc loco, antequam ad alia transgrediamur, Ortelij error, qui munimentum hoc *(Brittenburgum)* castra legionum Germa-

maniæ Plinio dici censet : quum hic universa castra ad Rheni ripam à fronte ad ostium intelligat. Verba authoris hæc sunt, libro 4. capite ultimo. Polybius latitudinem Europæ ab Italia ad Oceanum scripsit XX. M. esse, etiam tum incomperta magnitudine ejus. Est autem ipsius Italiæ, ut diximus, XII. XX. M. ad Alpes. Vnde per Lugdunum ad portum Morinorum Britannicum, qua videtur mensurā agere Polybius XI. M.LXVIII. Sed certior mensura ac longior ad occasum solis æstivi ostiumque Rheni, per castra legionum Germaniæ, ab ijsdem dirigitur Alpibus XII. XLIIII. M. P. *Reprehendit hoc loco Ortelium Cluverus, non quod Plinio medium hic ostium intellectum putet, sed quia* Brittenburgum castra legionum Germaniæ *appellatum simul putarit. At Cluverus qui medium ostium indicatum eo loci Plinio etiam alibi notat, quia nimirum ostium non ostia dixit, an omnino & hic litasse vero dicendus; præsertim quia Plinio medius alveus et exitus, non ostium, sed os modici alvei inter bina ostia occiduum & Boreale; quorum illud Helius, hoc Flevum illi nominatum? Nam, enumeratis insulis, quæ sternuntur inter Helium & Flevum, hæc continuo addit* : Ita appellantur ostia in quæ effusus Rhenus ab septētrione in lacus, ab occidēte in amnē Mosā se spargit. Lib. 4. cap. 15.

ut pæne inclinem, Plinium, cum Europæ latitudinem, non ad Boream, sed ad solis occasum dirigat, etiam occiduum hoc Rheni ostium intellectũ voluisse. Quamquam, ut, quod sentio, dicam, cũ Pintiani eruditissimi viri aliorumq; observationes, quibus lectionum varietas indicatur, inspicio, quid de toto eo Plinij loco, ut vulgo habetur, statuam, certò non habeo.

De *Lugduno Batavorum*. & an, Taciti tempestate, intra insulam oppida fuerint?

CAP. XV. 38. D*E Batavorum Lugduno Ptolemæi præsertim verba adducit Cluverus, quibus* Lugodinum Batavorum, *utpote præcipuum Batavicæ gentis oppidum, nominatur. Sic enim loquitur pag. 122.* Lugodinum tanquam præcipuum Batavorum oppidum à Ptolemæo citatur, ad quam dignitatem haud facile statim ab origine evadere potuit, si circa Ptolemæi tempora id conditum suspiceris. *Quibus innuere Cluverus videtur jã ante Ptolemæi tempora alicujus fuisse nominis oppidum Batavorum Lugdunum, quod, florente præsertim Ptolemæo, tam inclytum habebatur. Quod cum sit, rectè q; concluditur, quomodo quadrabunt superiora, & illa præcipue quæ Cap. 13. in hunc sensum & verba idem Cluverus effert:* in ipsa insula Batavorum prorsus nulla ad Taciti usque tempora exstitisse opida reperio. *Nam sanè Ptolemæus cum floruerit*

sub

ſub Antonio Pio, ſucceſſore Hadriani, ſub quo Tacitus adhuc ſuperſtes fuit, quis non videt vix ullum aut certe exiguum eſſe inter Tacitum & Ptolemæum temporis intervallum? adeo ut opidum, quod Ptolemæo vivente fuit celebre, Tacito etiam paulo ante adhuc ſuperſtite, obſcurum fuiſſe, aut ſaltem opidum non exſtitiſſe quomodo potuit? Vt ita, an cauſa Cluvero fuerit ſummi erroris *accuſãdi* ſummi alioquin, *ut ipſe loquitur,* ingenij virum, *qui Lugdunum opidum Batavorum, & Batavis opida etiam, non, ut Germanis, vicos tantum, fuiſſe credibile putarit, inde ambigam quod idem etiam Ptolemæus* Batavodurum *in opidis habet, licet Tacito inter vicos nominatum. Quin & Batavi, quamquam à Cattis & Germanis oriundi, cum intra imperij & Galliarum complexum fuerint, quid mirum ſi Gallorum mores & munitiones etiam æmulatos dicamus? Quemadmodum ergo omnino hic Cluverum ſequi & ſecundas agere non potui; ita viciſſim à vero abire non putem, cum neget* Caput Germaniarum *id ipſum Lugdunum veteribus intellectum. Nam apud Antoninum in Itinerario provinciarum, ubi hæc verba habentur,* A Lugduno caput Germaniarum Argentorato M. P. CCCXXV. *Ea, inquam, ita nonnulli, & inter eos Iunius, accipiunt atque interpretãtur:* A Lugduno; quod eſt Caput ſeu initium Germaniarum. *Verum Argentorato cum illa potius prærogativa competat, verius*

rius puto si legatur, A Lugduno, Caput Germaniarum Argentoratum M. P. CCC. XXV. *Vt subintelligatur nimirum,* distat, *quasi dicat, Caput Germaniarum Argentoratum distare à Lugduno M. P. CCCXXXV. Vel, ut Cluverus ponit,* A Lugduno, Argentoratum caput Germaniarum, &c. *quo ita, sicuti Lugdunum in Gallijs authori tabulæ itinerariæ rectè dicitur* caput Galliarum, Argentoratum *etiam* caput *dicatur* Germaniarum, *superioris nimirum & inferioris, Rheno & Galliæ limitibus conclusæ. De quo cum alibi nobis dictum aut dicendum, hæc obiter indicasse hoc loco satis fuerit.*

An Tabulæ itinerariæ *Arenatium* idem sit cum Taciti *Arenaco? Sacrum nemus,* non esse Schakerbosch.

CAP. XVI. 39. DVo hoc Capite notanda occurrunt. *Prius est, quod ait sub finem fere Cluverus:* Ortelius quum ex tabula Itineraria sese expedire nesciret, diversum fecit in Tabula veteris Belgij Arenacum ab Herenatio; hoc medio situ inter Carvonem (quem

Pag. 137. & ipse Grave intelligit) & Vetera, quæ nunc Santen/ collocans. At meminisse oportuit Herenatium Antonini sive, ut quædam habent exemplaria, Herenatium, idem esse, quod Arenatium auctoris Tabulæ. Arenatium autem Tabulæ

& Are-

& Arenacum Taciti quanto vocum discrimine inter se differunt. Sane si non-nullo, tamen admodum exiguo. Arenacum autem Taciti esse **Arnhem** (quod olim in citeriori amnis ripa) satis supra probatum est. Ergo Harenatium seu Herenatium Antonini ab Arnhemo ne temere sejungamus. *Quibus subjiciam ipsa verba Ortelij ex Thesauro Geographico*: Herenatium Germaniæ inferioris oppidum, Antonino circa **Goch** in Civiæ ducatu videtur. idem alibi Arenatium legit & legio X. Est qui Arenacum Taciti putant. *Ego cum videam & Antoninum & Tabulam Itinerariam deflectere ab eo positu, qui debetur Taciti Arenaco; fere eo inclinat animus ut diversum ab Arenaco Arenatium existimem. Et maxime quia vicus se offert versus Neomagum* Arichum *hodie nominatus. cujus & paulo ante mentio nobis injecta.*

Alterum est quod sacrum nemus *in illis ejusdem Taciti verbis*: Civilis (*defectionem et arma adversus Romanos agitans*) primores gẽtis & promptissimos vulgi specie epularũ sacrum in nemus vocatos, ubi nocte & lætitia incaluisse videt, à laude gloriaq; gentis orsus injurias & raptus & cetera servitij mala innumerat, &c. *plerique rerũ Batavicarum scriptores interpretantur silvam Hagiensem. Iunius fere, & qui Iunium secuti, ad lo-*

ad locum referunt, qui vulgo nunc Lugdunum inter Hagamq́ dicitur Schakerbosch/ *quasi videlicet allusione & vicinitate vocis inde Romanis* sacrum nemus *formatum fuerit. Cluverus* Batenburgum *Batavorum oppidũ extra insulam constituit, & hunc locum quam proximè fuisse id sacrum nemus, alicui Deorum, quos Germania coluit, dicatum, putat. Quorum sententiæ eò propemodum omnes recidunt, peculiare aliquod nemus, in quod vocaverit suæ gentis primores Civilis, intelligendũ videri. Quãvis mihi omne* nemus *non Germanis modò, sed Romanis quoq́ antiquitus* sacrum *fuisse habitum, videatur; & præsertim de gente Germaniæ verissimum id esse alibi nobis luculente notatũ. Habet & Cluverus sub finem capitis, quæ eodem spectant. Quibus & illud de Semnonibus ex Taciti Germania accedat, licet:* stato tempore in silvam

Auguriis patrum & prisca formidine sacrã omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coëunt. *itemque ex Plinio, de suo ævo & gente verba faciente:* Prisco ritu etiamnũ Deo peculiarem arborem simplicia rura dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos & in iis silentia ipsa adoramus. *Apud Germanos ad Caroli usque Magni ætatem hanc etiamnum in animis plurium sedisse non tantum, sed publico etiam cultu ac solenniis agitatam fuisse superstitionem*

Lib. 12. cap. 1.

tionem ex Capitulari ejus ac legibus liquet. Quæ aliaque huc præter cetera pertinentia, alibi & suo loco copiose nobis pertractata, hic omittimus. In Originibus Fråcicis.

De *Neomago*: et *oppido Batavorum*, quod extra insulam Tacitus collocat.

D*E passibus & spatijs inter Carvonem (nunc* **Grave** *putant) et Arenatium itemq́; Neviomagum, quæ ex itinerarijs & authore præsertim Tabulæ eodem Capite proferuntur, cum hodie locis & itineribus non respondeant sintque intricata haud parum & positu suo involuta, de ijs nunc dicere supersedebimus. Hoc tamen, quod ad Neomagum & oppidi antiquum decus attinet, addendum existimo: Vocabulum nimirum urbis cum alijs aliquot gentium aliarum opidis commune esse; & inter cetera præcipue distinguendum à castris illis Constantini; quorum in Mosella meminit Ausonius: qui in prima Belgica Neomagum collocat, ad oram celebratissimi ejusdem amnis infra Augustam Trevirorum, hisce versibus:* Ibidem. 40.

Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Neomagum: divi castra inclita Constantini.

Quod itaque cum aliud sit, hoc, de quo hic nobis sermo, ad Vahalim positum Neomagum, sunt qui ex inscriptione, quæ ibidem hodieque visitur, Iulium Cæsarem conditorem ejus probare annisi sint.

dicebant, sicut nos, omissa a/ Sturen & Stieren *nunc dicimus. Vnde &* Turcken staur/ *id est*, tributum adversus Turcas *hodieque apud Germanos præsertim interiores in usu remanet. Ita ut à* staur/ stauria *vocabulum, Latina flexione, formatum sit. ut facile inde eorum opinio, qui vocem* STAVRIA, *in ea Neomagentium inscriptione, ad oppidum Frisiorum* Staveren *huc usq; retulerunt, convelli nunc atque redargui possit. Est autem ejus, quam nos attulimus, quam & veram ac certam existimamus, interpretationis nobis tibicen atque occasio, dum de hisce aliisq; in historia & à memoria nostra remotis rebus sermones per occasionem caderemus, amicus noster & Musarum singularis Petrus Scriverius, quomodo & alibi suo loco professos nos memini.*

Quapropter certum esto, quum author Tabulæ, quam, ni fallor, Peutengerianam appellat Rhenanus, nuper à viro clarissimo ac nobilissimo Marco Velsero in publicum, literarum & chorographiæ præsertim insigni bono, edita, Neomagũ circa Arenatium & Herculis castra ipsosq; Francos, antequam Rhenum transissent, agnoscat; certum, inquam, esto, Constantini & Francorum præcipue sequentibus seculis fuisse celebratissimum hoc oppidi, idque Neomagi etiam vocabulo.

Porrò antiquissimis temporibus ac rebus adhuc integre florentib., nõ quidẽ Neomagi, quod cõstet

sed

sed opidi Batavorum *nomenclatura famigeratum habitum, ut existimem, faciunt primum Taciti verba 4. histor. ubi non tantum insulam*
4. Histor. *Batavorum, sed & extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, id est, continentem inter Mosam & Vahalim, à Cattis, Batavorum aboriginibus, occupatam indicat. atque inde quinto Hist. addit, Civilem Batavum, cum jam ad arma adversus Romanos ventum esset, non ausum tueri* Batavorum opidum, *raptis, quæ ferri poterant, ceteris igni injecto, in insulam concessisse, indicans nimirum hanc fuisse extra insulam, sed in omnem eventum in propinquo tamen & quasi limine insulæ, sedem & tanquam metropolim Batavorum; & ideo* κατ' ἐξοχὴν opidum Batavorum *nuncupatum, quomodo* Vbiorum oppidum *eidem Tacito 1. & 2. Annal. quæ postea Colonia Agrippinensis. Cui conjectura favent, præter cætera, Taciti, quæ innui, hæc verba:* Batavi donec trans Rhenum agebant pars Cattorum seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus simulque insulam inter vada sitam occupavere. *Nam in extrema illa continentis Gallicæ ora, quis esse illustrior locus queat, præsertim unde totum Batavici agri situm & solum, non prospectu tantum æstimare, sed tutari etiam, ubi opus esset, armis liceret, quam hoc, quod indicavi, in crepidine Vahalis, agrum Batavum à continente Galliarum seperantis, positum Gelrorum*
Neoma-

Neomagum? Quapropter & idem Tacitus, de Civili & armis ejus adversus duces Romanos, ut indicavi, exinde commemorans, cum ait: Civili Chaucorum auxilia venere. non tamen ausus OPIDUM BATAVORUM armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris igni injecto in insulam concessit: *iterum non video, si omnia hujus oræ accuratius rimemur, quo alio, quàm nostrum hodie Neomagum, situ,* Batavorum *hoc* opidum *collocatum esse potuerit. Nam Cluverus, qui ad* Batenburgũ *referendum hortatur sola vocabuli vicinitate, &* Batenburgum *in* Batavenburgum *flectendi facilitate fretus, præter morem id suum & cõsuetudinem in alijs severissimè reprehensam fecisse videtur. Et argui etiam hoc ipsum eo potest, quod non tam opidum, quam arx hodieq; Batenburgum sit; nec ad Vahalim, ut Neomagũ, sed ad Mosam situm haud commode & adeo raptim, quomodo narrat Tacitus, ex eo in insulam concedere & sibi suisq; consulere Civili occasio fuisset.*

De originè Batavorum, & falsis aut fictitijs aliquot eorundem regibus.

De origine Batavorum, inter cetera, hoc Capite quæ referuntur, uno verbo & Taciti testimonio, quod est liquidissimum & extra controversiam positum Hist. 4. absolvi potest, esse nimirum Batavos origine Germanos è Cattis oriundos, hoc est, fuisse olim Cattorum, *ut verba* CAP. XVII. 41.

habent, partem, seditione domestica pulsos, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, simulque insulam, *in amne Rheno sitam* occupavisse. *Quæ ipsa in libello de Moribus Germanorum totidem fere verbis repetit idem historiographus. At nomen Batavorum domo attulerint, an verò egressi jam ex Cattis id primum inter se constituerint, haud facile dictu Cluverus putat; quamvis sint, qui jam tum hoc nomine appellatos existiment, quum adhuc pars Cattorum in Germania fuerint: Eosq; pro argumento adducere refert duo nominis vestigia, quorum alterum in* Battenberch *prope Ederam flumen; alterum in* Battenhausen *haud procul amne Verra in Hassia extet. Verum ipse eam, ut lubricam et dubiam conjectationem, nulla probabili ratione subnixam, neq; affirmare neq; negare in animo habet. Nos verò jam ante, quid præcipue ex ipso Tacito, quod Batavis, priusquam insulam occuparent, Batavorum nomen vindicet, adferri possit, ad Cap. 3. Disceptat. 7. indicavimus, nimirum quod dicat*, Batavos, donec trans Rhenum agerent, partem fuisse Cattorum. *Sed eodem simul loci addidimus, ea verba non ulterius quam de gentis, nō nominis Batavici, auspicio accipienda. Idq; insigni Dionis testimonio confecimus, asserentis ab ipso Bataviæ agro Batavos appellatos, ubi ait;* Alienigenæ quoque equites extraordinarij, qui Batavorum à Batua, quæ in Rheno est

no est insula (hi autē equitandi arte pollent) nomen habent. *Qui etiam locus nec Cluverum fugit: sed cum levi scripturæ uniusq; litterulæ nævo in ipso Græcanico textu, ut supra ostensum est, obfuscatus habeatur hunc sensum & veram authoris mentem pauci adhuc adsecuti sunt; ut latius & luculentius, Discept. 7. jam indicata, commonstratum est. Quamquam Xylander, Dionis interpres, quod supra addere omisimus, non verba Græcanica, ut sunt corrupta, quod facit Cluverus, sed sensum, qui se facillimè aliàs prodit, secutus, ita ad nostram quoque mentem & emendationem, quam supra posuimus, Dionē transtulit:* Batavi appellati à Batava, quæ est in Rheno insula, cuius incolæ arte equitandi pollent. *Cluverus autem, rem non explicans sed involvens, ita:* qui Batavorum à Batua, quæ est in Rheno insula, quia equitandi arte pollent, nomen habent, *ad normam scilicet & præscriptum verborum Græcanicorum, in quibus est:* ὅτι κράτιστοι ἱππεύειν. *Vbi ut diximus, si pro* ὅτι *legatur* οἱ, *sensus erit liquidissimus & idem dicens, quod habet Xyandri translatio. Nam pro* ὅτι, *quod vertit in* quia *Cluverus, fiet* οἱ, *id est*, qui *sive* hi: *ita nimirum:* qui equitandi arte pollent, *sententia, ut jam iterum iterumque indicatum, omnium optimâ, & nibil aut scrupuli aut obscuritatis penitus præ se ferente.* Discep. 7.

Hinc de origine & gentis principibus, quæ alibi

libi adducit Gerhardus Nouiomagus, hanc censuram Cluverus agit: Gerhardus Nouiomagus Historiis (vt scribit) ducum Gelriæ adiutus, multa de Batavorum origine, primoque in insulam aduentu recitat: quæ cum crederet Iunius pluribus augere atque firmare aggressus est &c. Verum fabulas esse aniles nugamentaque mera, Taciti autoritas locupletissima facile cõvincit. Quippe nõ spõte egressos Batavos Batone ut illi nugãtur duce novercales insidias fugiẽte, *sed per seditionem pulsos* affirmat. *Hactenus Cluverus, in viã nimirũ regrediens, dum illas Batonis fabellas G. Nouiomago Geldenhaurio authori suo, non Iunio soli, quod supra notabamus, recte impingit: Et quia iam ante fabulosam illam Batavici stemmatis seriem, à Batone initio sumto, cœpimus discutere, age & sequentia proferamus; idque eum in modum vt & origines & fontes atque occasiones earum næniarum suis è cubilibus producta in aperto collocentur.*

Disceptat. 6, pag. 20.

Discept. 7.

Ac primum post Batonem, de quo iam ante satis, Cornelius Haemrodius aliique Nouiomagum, præter ceteros, secuti, Hessum, Kannaphum, Carolum VValdanum *(Tacito Cariovaldam) itemque* Alphenum, Minum ac Cunonem Bellinum *producunt, non, vt ego existimo, Batavorum Reges, sed meras chimæras & eiusdem cum superiori-*

rioribus de Batone furfuris. Festivum interim est, quamvis similiter frivolum, quod ex Cariovalda (cuius quidam vt Ducis Batavorum Tacitus meminit) Carolum Silvium sive Waldanum nobis fabricent: Sed omnem superat confidentiam, quod eundem Octaviæ, Augusti, si displacet, sororis ex Kannapho *nescio quo, filium faciant. Quis ista legendo temperet à risu? Et ut uno spiritu hæ nugæ folidque difflentur; Referunt hunc Cariovaldam eiusque successorem* Alphenum *ad prima Augusti tempora: cum ex Tacito certò constet Cariovaldam ea, quæ ex Tacito recensentur, sub Tiberio demum in exercitu Germanici adversus Cheruscos gessisse; Alphenum autem eiusque res ad ævum Galbæ & Vespasiani referendas: Verba Taciti de Cariovalda ista sunt:* Cæsar nisi pontibus, præsidiisque impositis dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado transmittit. Præfuêre Stertinius, & è numero primipilarium Æmilius, distantibus locis invecti, vt hostem diducerent, quà celerrimus amnis CARIOVALDA Dux BATAVORUM erupit. eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxêre: 2. Annal.

libi adducit Gerhardus Nouiomagus, hanc censuram Cluverus agit: Gerhardus Nouiomagus Historiis (vt scribit) ducum Gelriæ adiutus, multa de Batavorum origine, primoque in insulam aduentu recitat: quæ cum crederet Iunius pluribus augere atque firmare aggressus est &c. Verum fabulas esse aniles nugamentaque mera, Taciti autoritas locupletissima facile cõvincit. Quippe nõ spõte egressos Batavos Batone ut illi nugãtur duce noverca-
Disceptat. les insidias fugiẽte, *sed per seditionem pulsos*
6. pag. 20. affirmat. *Hactenus Cluverus, in viã nimirũ regrediens, dum illas Batonis fabellas G. Nouiomago Geldenhaurio authori suo, non Iunio soli, quod supra notabamus, recte impingit: Et quia iam ante fabulosam illam Batavici stemmatis seriem, à Batone initio sumto, cœpimus discutere, age & sequentia proferamus; idque eum in modum vt & origines & fontes atque occasiones earum næniarum suis è cubilibus producta in aperto collocentur.*

Discept. 7. *Ac primum post Batonem, de quo iam ante satis, Cornelius Haemrodius aliique Nouiomagum, præter ceteros, secuti,* Hessum, Kannaphum, Carolum VValdanum *(Tacito Cariovaldam) itemque* Alphenum, Minum ac Cunonem Bellinum *producunt, non, vt ego existimo, Batavorum Reges, sed meras chimæras & eiusdem cum superiori-*

rioribus de Batone furfuris. Festivum interim est, quamvis similiter frivolum, quod ex Cariovalda (cuius quidam vt Ducis Batavorum Tacitus meminit) Carolum Silvium sive Waldanum nobis fabricent: Sed omnem superat confidentiam, quod eundem Octaviæ, Augusti, si displacet, sororis ex Kannapho *nescio quo, filium faciant. Quis ista legendo temperet à risu? Et ut uno spiritu hæ nugæ solidaque diffleantur; Referunt hunc Cariovaldam eiusque successorem* Alphenum *ad prima Augusti tempora: cum ex Tacito certò constet Cariovaldam ea, quæ ex Tacito recensentur, sub Tiberio demum in exercitu Germanici adversus Cheruscos gessisse; Alphenum autem eiusque res ad ævum Galbæ & Vespasiani referendas: Verba Taciti de Cariovalda ista sunt:* Cæsar nisi pontibus, præsidiisque impositis dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado transmittit. Præfuêre Stertinius, & è numero primipilarium Æmilius, distantibus locis invecti, vt hostem diducerent, quà celerrimus amnis CARIOVALDA Dux BATAVORVM erupit. eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxêre: 2. Annal.

dein coorti, & undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus, collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant, Cariovalda, diu sustentata hostium sævitia, hortatus suos ut ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos erumpens cõgestis telis & suffosso equo labitur ac multi nobilium circa. ceteros vis sua, aut equites cũ Stertinio Æmilioque subvenientes, periculo exemere. *Hactenus Tacitus.*

Alphino Minum, *Bellinum cognomine, surrogatum volunt, annis ante Christum duobus, id est, Augustæi imperij anno quadragesimo primo. Quo indicio ipse se sorex prodit. Si enim Alphenus longe, ut ex Tacito ostendimus, post Augustum sub Vespasiano nimirum exstiterit, quid Mino huic Alpheni scilicet successori fiet, quem ad alterum tantummodo Caligulæ annum producunt? Caligulæ, inquam, qui ante Vespasianum annis aliquot imperavit. Erroris verò commentitij occasio, quantum conijcio, hinc nata, quod Suetonius in Caligula, nõ* Mini *quidem, sed* Adminij, Cuno bellini Britannorum Regis filij, *meminerit. Quo loci codices nonnulli prætulerant,* Batavorum *pro* Britannorum: *isq; error etiam alios, nostra tempestate haud infimi in literis nominis pæne eodem perduxerat, ut* Cynobellinum *similiter aliquem* Batavorũ regem *constituerent. At nunc melior & verior*

Cap.44.

rior lectio passim habetur, idq; Dionis præcipue accedente calculo, qui Cynobellini *hujus, utpote regis Britannorum, non Batavorum magnificè meminit; & præter* Adminium *à Suetonio nominatum, filios insuper eidem* Cunobellino *tribuit* Cataractacum *&* Tagadunum. Dio lib. 60.
Vt similiter, præter alia, etiam in eo castigandi fabulatores, quod ex Cunobellino Kunonē Bellinum *faciant; eumq; non patrem, sed filiū* Adminij: *cum pater* Adminij, *nō filius etiam ipsi Suetonio dicatur. Qui ita habet de Caligula militia & fortibus factis verba faciens:* Nihil amplius quam Adminio Cynobellini Britannorum regis filio, qui pulsus à patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto: quasi universa tradita insula, magnificas Romam literas misit; monitis speculatoribus ut vehiculo ad forum usque & Curiam pertenderēt, nec nisi in æde Martis, ac frequente senatu Consulibus traderent. Cap. 44.

Hujus deinde Mini Bellini *duos filios faciunt,* Cunonem *quem dixi, &* Brennonem *(ita enim appellant, non, ut Tacitus,* Brinionē) *in Caninefatibus natum. Quæ aliaq; adeo nihil sani continent, ut à veritate non modo, sed à fabulandi etiam consuetudine abhorreant, cum præsertim exstent Taciti aliorumq; veterum testimonia commentum & fucum omnem prodentia. Nam & his* Iulium *deinde* Paulum *nepotem*

nonis sustituunt: atque inde Claudium Ciuilem *Iulij fratrem, ac postremò filium Civilis* Iulium Agrippam *nominatum, successorem patri datum. Quæ, nisi è cerebro suo ecquis dicat, cùm ea Tacitus, qui res istas solus inter veteres conservavit, nusquam dixerit? utpote qui filij tantum, seu* parvuli Civilis, *nulla aut nominis aut successionis mentione addita, simpliciter meminerit.*

Quando primum in notitiam ac societatem Romanorum venerint Batavi, aliaque disquisita.

Ibid. 12. *EOdem deinceps capite Cluverus ostendere parat, quo præsertim tempore, & quomodo in Romanorum notitiam societatemq́; pervenerint Batavi, multaque ex Cæsare adfert, ex quibus cōiecturam faciat, id factum cum ponte per Rhenum strato in fines Sicambrorum contendisset, atque eò complurium civitatum legati venirent pacem atque amicitiam eius petentes, vt pluribus ab ipso Cæsare cōmemo atur 4. de bello Galli. Has civitates Cluverus ait nec Vbiorum, nec Suevorum, nec Bructerorum nec Sicambrorum, qui vt ex Cæsare constat, ad interiora & silvas confugerant, nec denique Frisiorum aut Chaucorum Cheruscorumve fuisse: quidque cum illi remotiores essent, quam quibus ex Cæsaris aduentu metus incuti posset. Prope Sicambros fuisse inde colligendum putat; quod audito, Cæsarem transisse Rhenum*

Rhenum statim legatos miserint, metuentes ne se quoque per Sicambrorum fines peteret. Iam autem cum Sicambri inter Coloniam Agrippinam & Rheni divortium, quod est ad Schenckij munimeutum, ripam vlteriorem tenuerint, ergo inquit, Civitates, quæ legatos miserint, infra fuisse Sicambros necesse esse. Hic autem nulli, *ità porro addens concludit,* nisi qui in insula Rheni, Batavi atque Caninefates, & vltra Rhenum Marsatij. *Hæc Cluverus. at ipsa Cæsaris verba si videamus an in ipsis Sicambrorum finibus an verò circa Vbios, cum ad eam se expeditionem Cæsar accingeret, legati ad eum venerint, non ita liquidum est. Ita enim ait:* Diebus decem quibus materia cæpta erat cõportari, omni opere effecto, exercitus traducitur. Cæsar ad vtrãq; partẽ pontis firmo præsidio relicto, in fines Sicãbrorũ contẽdit. Interim à complurib. civitatibus ad eũ legati veniunt, quibus pacẽ atq; amicitiã petẽtib. liberaliter respõdit, obsidesq; ad se adduci iubet. Sicãbri ex eo tẽpore, quo põs institui cæptus est, fuga cõparata, hortãtib. iis, quos ex Tẽcteris atq; Vsipetib. apud se habebant, finibus suis excesserãt suaque omnia exportaverãt, seque in solitudinẽ & silvas abdiderant. Cæsar paucos dies in eorũ finib. moratus omnib' vicis ædificiisque incensis, frumẽtisque succisis, se in fines Vbiorũ recepit, &c. Libr. 4. Bell. Gall. *Qua-*

Quapropter, si & nos sententiam hic aut animi verius sensum edere postularemur, vero consentaneum esse dicamus, Gallia omni pacata, Batavos vtpote Galliæ extremæ, quatenus in continente simulerant, portionē, ad obsequium etiam Cæsari venisse aut saltē obsequij signa ostēdisse. Nam anno, & quod excurrit, prius quam Sicambrorum fines trans Rhenum intraret Cæsar ex ijsdem de bello Gallico libris, cum quarto tum etiam secundo & tertio, liquet transrhenanas ad eum gentes pacis ergo legatos misisse. Huc enim, præter cetera spectat quod sub finem secundi in hæc verba recitatur: His rebus gestis, omni Gallia pacata, tanta huius belli ad Barbaros opinio perlata est, ut ab nationibus, quæ TRANS RHENUM incolerent, mitterentur legati ad Cæsarem, quæ se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur. quas legationes Cæsar, quod in Italiam Illyricumque properabat, inita proxima æstate, ad se reuerti iussit. *Vbi notandum* trans Rhenum nationes *nominari, ut constet præsertim tam continentis, quam in Rheno Batavos intelligi. eosdemque esse, quos exinde Germanorum vocabulo & equitatu valuisse secumque ab initio habuisse, non semel indicat; ut lib. 7. cum ait:* Cæsar ex castris equitatum educi jubet; præliumq; equestre cōmittit, laborātib. suis Germanos equites circiter CCC. submittit, quos ab initio secum

ſecum habere inſtituerat. *Et iterum eodem libro:* Cæſar quod hoſtes equitatu ſuperiores eſſe intelligebat, & interclusis omnibus itineribus, nulla re ex prouincia atque Italia ſubleuari poterat, trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas ciuitates, quas ſuperioribus annis pacauerat. Superioribus *nimirum* annis; *ut non ad ſolam eius anni, quo in Sicambrorum fines traiecit, expeditionem, ſed antecedẽs etiam, de quo iam indicaui, tempus id referatur. Quod autem præcipue hic Germanorum vocabulo Batavos accipiam, in cauſa eſt, quia nulli tum alÿ, nec Vbÿ quidem, nec exinde etiam amici Romanorum inter Germanos fuêre, unde auxilia & equitatus peterentur. Et ideo non* FRATRES *tantum &* AMICI ROMANI IMPERII, *teſtantibus hoc paſſim autoribus & marmorum inſcriptionibus, ſed & ipſi & ſociæ in Rheno gentes ad Fleuum uſque Galliæ Belgicæ populi & imperÿ pars intellecti ac laude præſertim equitatus celebrati fuerunt.*

Et tamen utcunque ſe iſta habeant, illud quomodo accipi debeat ignoro, ſub finem ibidem additum: Cæſarem ipſum in Batavorum inſulam non penetraſſe, facile perſpiciet, quiſquis commentarios eius de bello Gallico diligentiori cura perlegerit. quapropter cum ipſe has oras non perluſtrauerit, facile inperitè de iis iudicare potuit

tuit, *Nam hoc ut demonstret ita deinceps loquitur*: Imperitum atque ignarum harum regionum fuisse, vel ex ipsorum Rheni Mosæque amnium descriptione patet. Nam si Mosa suo sibi ore, quod vult Cæsar, in Oceanum influit, certe Rhenus neque plures insulas eius tempore, quam unam efficere, neque pluribus quam uno capite seu ore in oceauum effluere potuit. Plurimus igitur Cæsari circa has oras error maximaque terræ confusio &c. *At non ità Cluvere loquebare superius cap. 4. vbi, etiamsi Tacito, ut ævi posterioris, prærogativam tribuas, ita tamen de Cæsare addis*; Nec facile Iunius, qui oculatum eum insulæ testem facit, sive ex ipsius commentariis, sive ex alio quo auctore probaverit, in insulam ingressum fuisse. *Et statim*, Quamcunque notitiam loci seu insulæ Batavorum habuerit Cæsar, testem ego ipsum haud minus quàm Tacitum recipiendum existimo. *Hoc dixisse satis fuerat, nunc autem imperitiæ & ignorantiæ præterea arguere tantum non modo authorem, sed & imperatorem dum satagis, nec in te nec in illum probè satis consulis.*

De ipso autem illo Cæsaris loco supra, quid sentiamus, ostensum est.

An immemores libertatis suæ Batavi & impij in consanguineos Germanos fuerint, postquam in societatem & partem imperij adsciti sunt.

At *Tacitus libro de Moribus Germanorum*: Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi. *Cluverus hic non abs re eos notat, qui hæc verba ad universam gentem Germaniæ referunt, cum cisrhenanos maximè spectent, id est*, Treviros, Nervios, Vangiones, Trebocos, Nemetes, Vbios, *qui, ut paulo ante memoraverat, è Germania in Gallias commigraverant. Harum ergo gentium omnium aspectu præcipuos vult esse Batavôs. Quod præclarum de Batavis elogium Taciti, & confessionem Cluveri, obfuscant haud leviter quæ deinde apud eundem Cluverum hunc in modum sequuntur:* At transrhenanos Batavis impares virtute fuisse ne temere affirmes. Cattos respice, Cheruscos, Frisios, Bructeros, Cauchos, Longobardos, Marcomannos, Quados & alios. quorum res gestæ *(gestas)* longe Batavorum gloriam excedere puto. Frjsij & Chauci, quoties potētia Romanorū spreta rebellarūt? Catti & Cherusci magnis exercitibus subacti, quādiu imperio Rom. audientes fuerūt, Quintilius Varus interitu suo testatus est. Inde verò quid, nisi cōtinuū bellū! donec mox

CAP. XVIII. 43.

mox omne nomen Romanorum ex vniversa Germania eiiceretur. De his igitur, non de Batavis, recte illud Tacitus libro de Moribus Germanorum: REGNO ARSACIS ACRIOR EST GERMANORVM LIBERTAS. *Nam quod eximit ex hoc manipulo & numero, quibus cordi & salua semper libertas fuit, Batavos, quomodo potest, cum eos eidem inserat Tacitus? Enumeratis enim gentibus Germaniæ occiduæ, in qua & Batavos, ex Cattis profectos, locarat, in Borea & Cimbris desinit additque:* Sexcentesimum & quadragesimum annum vrbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti fere & decem anni colliguntur. tādiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spacio, multa interim damna. Non Samnis, non Pæni, non Hispaniæ, Galliæve, ne parthi quidem sæpius admonuere. quippe Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. *Quis enim hic excludi nomine Germanorum Batavos dixerit, cum paulo ante de Batavis, inter ceteros, loquutus fuerit. sed infert consequenter Cluverus*: Contra vero Batavi, Caninefatesq; nunquam Romanorum experti arma, nisi cum Civile duce, rebellarent: Ab initio veteris glo-

riæ

riæ libertatisque Germanicæ, quam à maioribus acceperant, immemores, non per vim, aut pugnæ experimentum; sed per metum (licet in munitissima Rheni insula satis tuti forent) Cæsaris potestati vltro concesserũt, teste ipso Cæsare. *Quid audio Cluvere, quos iam ante ex Tacito* omnibus illis nationibus ac populis, qui in Galliam è Germania migraverant, virtute præstare *fassus, hic meticulosos facis ac pristinæ libertatis immemores? At quomodo illi libertatis suæ naufragium adiisse; aut eius immemores fuisse dicendi, qui fratres & socij ac pars imperij eum in modum habiti atque appellati, vt nihilominus & honos illis, & patria iura atque immunitates salvæ essent, dum* nec publicanus attereret nec tributis *(vt ipsis Taciti verbis hoc repetam)* contemnerentur, exempti scilicet oneribus & collationibus omnibus? *Hæc qui habet, quid illi ad libertatem deest? imo quid, nisi maiorem honorẽ adiecisse hoc pacto Romani videãtur, reuerentiã gentis? Nam sanè eò præcipuè respicere Tacitum cum ait:* omnium cisrhenanarũ, *quæ è Germania migrarunt,* gentium virtute præcipuos Batauos, *vero consentaneum habeo, nõ tantum, vt tu Cluvere concludis, quia* reliqui Gallicis imbuti moribus atque corrupti, in omnem corporis pariter atque animi mollitiem prolaberentur. Batavi vero

Cani-

Caninefatesque veterum morum, quos ex Germania attulerant, tenacissimi à parvulis duritiei ac labori studebant &c. *Hoc enim ita esse concedimus quidem, si & superiora, quæ iam diximus, simul adnectas. Et postremo quod, Cæsare attestante, innuit, quum ille ultra Rhenum cum exercitu in fines Sicambrorum concessisset metum Germanis tum iniectum eosque Batavos & hos insulanos esse, concludat, quomodo argumentum procedat non video. Ita enim Cæsar*, Quod ubi Cæsar comperit, omnibus his rebus confectis, quarum rerum causa exercitum traducere constituerat, ut Germanis metum iniiceret, ut Sicambros ulcisceretur, ut Vbios obsidione liberaret, diebus omnino octodecim trans Rhenum consumptis, satis ad laudem & utilitatem perfectum arbitratus, se in Galliam recepit, pontemque rescidit. *Nam hic Germanorum nomen ad Batavos vix posse referri ex eo pateat, quod Batavi iam ante, Cæsari, quid de se expectandum haberet, ostenderant, quemadmodum ex verbis, quæ hæc procedunt, & fine quoque secundi Commentarij probabili ratione commonstrare superius cœpimus.*

Sed pergit Cluverus : Hinc quid aliud quam perpetui Romanorum ministri, viros, ut inquit Tacitus histor. 4. armaque ministrantes : quibus illi sibi imperium

rium per Germaniam Britanniamque quæsiverant. Vno verbo si quæris audire, arma manusque contra ipsos parentes suos consanguineosque Cattos atque ceteros Germanos, Romanis, communibus Germanici nominis hostibus, impiè ministrarunt. *Hactenus Cluverus; existimans impiè in societatem & partem imperij venisse Batavos, dum ei arma virosq́ submini-strarent. Verum Batavi, ut ante demonstratum, cum non insulani modò, sed portio etiam essent continentis Galliarum, quas iam universas imperio adiecerat Cæsar, quid honorabilius illis aut ad laudem præclarius contingere potuit, quàm cum cæteri Germanicæ gentis populi imperium & iugum agnoscere cogerentur, ipsi exempti, ut diximus, agerent & sui iuris, bellis tantum vacaturi? Ecquid hic aliud ijs obijcias, aut quanam eorum impietas, quæ non illis cum popularibus suis ceterisq́ Germanis communis sit. Nam constat ex Tacito passim in more hoc positum omnibus Germaniæ gentibus ut, cessante apud se bello, ultro eas nationes peterent, quæ bellum tum gererent. Quapropter & 4. histor. in universum* Germanos lætam bello gentem *dixit; Et præsertim, libro de Moribus Germanoram, hæc habet:* Si civitas, in qua orti sunt, longa pace & ocio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia &

M ingra-

ingrata genti quies & facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueantur. *Hactenus Tacitus. Et probat primum Arminius* assiduus, *ut eum celebrat Paterculus*, militiæ Romanæ comes, *& ob id quoque jus civitatis atque eminentiæ equestris gradum sortitus; qui tamen, ut habet Tacitus, liberatorem se exinde Germaniæ gessit: Et frater similiter eiusdem Arminij, Flavius, de quo idem Tacitus; diu apud Romanos stipendia meritus. Sed ipsa de utroque, Arminio inquam Flavioque, Paterculi & Taciti verba, ut integra adscribantur, digna judico. Et quidem Paterculi de Arminio, ubi Varo Quintilio totiq; Romanorum exercitui, inter cetera, cladem ab eo Germanisque inlatam accurate ac multis refert, ista sunt:* Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine ARMINIVS, Segimeri principis gentis eius filius, ardorem animi, vultu oculisque præferens, ASSIDVVS MILITIÆ NOSTRÆ PRIORIS COMES, ET IAM CIVITATIS ROMANÆ IVS EQVESTREMQVE CONSECVTVS GRADVM, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est; haud imprudenter speculatus neminem celerius opprimi, quã qui nihil timeret; & frequentissimum initium esse calamitatis

Lib. 2. histor.

lamitatis, securitatem &c. *Taciti autem de Flavio, præter alia, ita habent*: In ripa Visurgis cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quæsitoque an Cæsar venisset, postquā adesse respōsum est, ut liceret cū fratre colloqui oravit. Erat is in exercitu cognomento FLAVIVS insignis fide, & amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. tum permissum. progressusque salutatur ab Arminio. amotis stipatoribus, ut sagittarij nostra pro ripa dispositi abscederent, postulat; & postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. illo locum & prælium referente, quodnam præmium recepisset exquirit. Flavius aucta stipendia, torquem, & coronam aliaque militaria dona memorat, inridente Arminio vilia servitij pretia. Exin diversi ordiuntur: hic, MAGNITVDINEM ROMANAM, OPES CÆSARIS, ET VICTIS GRAVES POENAS, IN DEDITIONEM VENIENTI PARATAM CLEMENTIAM; NEQVE CONIVGEM ET FILIVM EIVS HOSTILITER HABERI: *ille*, FAS PATRIÆ LIBERTATEM AVITAM PENETRALIS GERMANIÆ DEOS, matrem precū sociam; ne propinquorū

& adfinium, denique gentis suæ desertor & proditor, quam imperator esse mallet. paulatim inde adiurgia prolapsi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebātur: ni Stertinius adcurrens, plenum iræ armaque & equum poscentem Flavium attinuisset. *Hactenus Tacitus: Qui continuo exinde eâ ibidem addit, ex quibus intelligi possit, cum ipse Arminius apud Romanos stipendia mereret, non seorsim & solum ac solitarium eum inter Romanos, ut Germanum & alienigenam, militasse, sed ductorem suorum integræ popularium cohorti præfuisse. Ita enim consequenter sequitur:* Cernebatur contra minitabundus Arminius, præliumque denuncians. nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris DVCTOR POPVLARIVM meruisset. *Quin*
2. Annal. *& de eodem Arminio* Andagestrij Cattorum principis litteras in senatu lectas *Tacitus quoque memorat*, quibus mortem eius (*Arminij*) promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur. *Quod addo, ut constet, non arma tantum virosq́ ministrasse, sed consilia sua Romanis subinde sociasse Germanos quoque. Et ne singulos recenseam, Italum denique, cui paternum è Flavio fratre Arminij genus fuit, Romæ & in castris victoris populi agentem, amissis per interna bella nobilibus, Cherusci*

ruſci regem ſibi petiverunt. de quo ita Tacitus: Eodem anno Cheruſcorum gens Regem Roma petivit, amiſſis per interna bella nobilibus, & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus è Flavio fratre Arminij. Mater ex Cattumero principe Cattorum erat. ipſe forma decorus, & annis equiſque in patrium noſtrumque morem exercitus. Igitur Cæſar, auctum pecunia, additis ſtipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capeſſere. Illum primum Romæ ortum, nec obſidem, ſed civem, ire externum ad imperium &c. *Vt facile hinc pateat quam inconſultè Cluverus impios in conſanguineos ſuos Germanos dicat Batavos: Præſertim, cum his accedat, quod ipſi non Rheno tantum ſecreta gens, ſed Galliarum inſuper & imperij, ut dictum, pars, non niſi proſpera omnia & ſecunda à Germanis & popularibus, & illi viciſſim ab ipſis, ſibi in omnem eventum pollicerentur. Et nonne id patuit cum iam, Civili duce, adverſus Romanorum legatos, qui onera & delectum, præter morem & pacta, imperarent, magnis animis arma ſumſiſſent? Tunc enim undique præter Galliarum Belgarumq; ſubſidia, advolavêre Friſij, Catti, Chauci, Bructeri auxiliares copias & arma viroſq; liberaliter miniſtrantes. Et cum iam in acie & prælio parati ad pugnam ſtarent, tale*

Tacitus Annal. 11.

de singulis judicium sive elogium potius idem Tacitus protulit, ut nimirum Gallis libertatem, Germanis prædam, Batavis vero gloriam in oculis atque animo fuisse, & veluti scopum præfixū, indicet: Batavis scilicet gloriam attribuens, utpote quam laborum periculorumq́ mercedem generosiores præcipuè mentes desiderant; & quæ sapientibus, ut ille inquit, novissimè exuitur. Sed verba ipsa ponemus: Tutor & Classicus & Civilis suis quisque locis pugnam ciebant; Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad prædam instigātes. *Qui locus cum illustris sit, & in hac gentium inter se contentione proprius, miramur, non tam Cluvero, quam Iunio, inter cetera, non annotatum. Nam Gallos, qui libertatem amiserant, hāc identidem respexisse; at Germanos & Batavos, qui integra adhuc libertate agebant, hos gloriæ solius & laudis; illos prædæ avidos ad prælium accessisse subindicat.*

Quapropter illa postrema Cluveri, quibus hæc concludit: Vnde maior Batavis pudor, in quantum Germani, ab acri illa Germanorum libertate degenerarunt: *locum hic omnino non habere, & livorem magis atque animi æruginem, quam sanum judicium, aut rectum authorum sensum, prodere quivis agnoscat.*

Insula

Insula Batavorum nobilissima, in verbis Plinij quomodo accipienda?

Ibid. 44.

HINC *ad Plinium se convertit, quem vult non gentem Batavorum, sed insulam nobilissimam, id est, notissimam intellexisse, cum dicat:* in Rheno ipso prope C. M. P. in longitudinem nobilissima Batavorum insula &c. *Rationem scilicet addit, quod idem Plinius inter* XXIII. *littoris Germanici insulas Romanorum armis cognitas nobilissimas aiat esse Burchanam, Glessariam & Actaniam. Sic enim Plinius:* XXIII. inde insulæ Romanorum armis cognitæ. Earum nobilissima Burchana, Glessaria, Actania &c *Sed posteriori hoc loco, quia dicitur eas insulas cognitas armis Romanorum, recte additur, illarum esse nobilissimas, seu notissimas, tres præcipue, quod non ita locum habeat in priori testimonio: Et habere concedamus, tamen quæso Cluvere, quapropter non ipsa etiam gens Batavorum, non insula tantum, aut insula etiam, aspectu dignitatis & excellentiæ gentis, nobilissima, quam Cæsar iã olim, licet hostis, aliiq; tã Græcorũ quã Romanorum veterum tantis laudibus cumularunt? Quos Tacitus fatetur retinere* honorẽ & antiquæ societatis insigne, *de iisdem 4 histor. hæc addens:* Diu Germanicis bellis exerciti, mox etiam aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus,

Lib. 4.

quas veteri instituto nobilissimi popularium regebant. *Et denique quos Plutarchus*, Germanorum equitum esse præstantissimos *dixit. Hæc, inquam, qui dicunt, & profitentur, an illi gentem negant nobilissimam ac singulari prærogativa atque excellentia celebratissimam? Et tu ipse Cluvere antequam hunc sermonem ingredereris, nonne ita præfatus fueras?* Primum omnium invidiam à nobilissimæ gentis clarissima posteritate deprecari cupio, si paulo liberius pro veritate decertavero, *attribuens nimirum genti, quod insulæ Plinius. Adeo ut hac parte veritati sua omnia integra fuissent, etiamsi Pliniano huic loco hanc interpretationem, aut calculum tuum nunquam adiecisses.*

Batavis, præter *equitandi nandique artem*, etiam hoc militiæ insigne fuisse, ut *cominus agerent, & rem ad mucrones & manus adducerent*, ex Tacito demonstratum.

Ibidem. 45.

CLuverus postquam falsas & vanas, ut videri voluit, laudes à gente Batavorum avertit, ad veram eorundem gloriam stilum transfert. Primum militiam & operas eorum recenset sub Iulio, atque inde ordine quæcunque, imperium tenentibus reliquis Cæsaribus tam pro se, quam imperio gesserint, verbis authorum commemorat. Sed nobis, quia hæc, cum ex Cluvero,

vero, tum alijs, quia ea fuse satis tractare exorsi sunt, repetere, aut alia & omissa adijcere hoc loco consilium non est, illud solum, quod de militia quæ Batavis propria & peculiaris fuit, aut additur aut præmittitur potius, introspicere, & quid adijci debeat, indicare obiter animus est. Ait ergo Cluverus: Sed antequam authorum testimonia singullatim in mediū adducā, insigne Batavorum, quo maxime apud rerum authores, sub communi Germanorum nomine noscitantur, proponendum puto. Id vero est ars equitandi traijciendique flumen quodvis, equo armisque retentis. *Cui rei adducit primo loco hæc Plutarchi:* In gladiatores, qui peritia & animo ad aggrediendum habebantur insignes invexit Varus Alphenus Batavos. Hi equitum Germanorum sunt præstantissimi. *Et Dionis ista:* Accedūt alienigenæ quoque equites extraordinarij, qui Batavorum, à Batava, Rheni insula (hi autem equites optimi) nomen habent. *Et tandem Taciti verba Histor. 4.* Erat & domi eques præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere. *Quibus addam & illa ex vita Agricolæ, Batavorum auxiliarium ope Iulium Agricolam tentatam antea, sed infeliciter, Monā insulam in deditionem accepisse. Sed ipsis porro Taciti verbis hoc dicam:* Sed ut in du-

In Oth.

Lib. 55.

Tacitus in vita Agri.

biis consiliis, naves deerant, ratio & constantia ducis transvexit: depositis omnibuc sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi usus, quo simul seque & arma & equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. *Et iterum 2. Annal. cum iam classem Amisiæ intulisset Germanicus* : Et eques quidem *inquit* ac legiones prima æstuaria, nondum adcrescente unda, intrepidi transiere · postremum auxiliorũ agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis , artemque nandi ostentant turbati & quidem hausti sunt. *Quorum, præter cetera , Taciti testimonia utroque priori, Dionis, inquam, & Plutarchi, hoc amplius habent, quod addant etiam nandi studium : quo maxime excelluisse non tantum ipsos per se Batavos, sed, quod præcipue admirationem auget, arma equosque retinentes. Cuius rei fidem iusto laudis encomio transmittere ad posteros non piguit Hadrianum Imperatorem carmine heroico, quo* Soranum Batavum , *ut eum nominat Suidas eumque secutus Iunius noster , ità describit suoque epicedio, virtutis in extero admi-*

rator

ratot, concelebrat:

Ille ego Pannoniis olim notissimus oris,
Inter mille viros primus fortisque Batavos,
Hadriano potui qui judice vasta profundi
AEquora Danubij cunctis tranare sub armis,
Emissumque arcu, dum pendet in aere, telum,
Ac redit, ex alia fixi fregique sagitta:
Quem neque Romanus potuit nec Barbarus unquã
Non iaculo miles, non arcu vincere Parthus:
Hic situs, hic memori saxo mea facta sacravi.
Viderit an ne aliquis post me mea facta sequatur.
Exemplo mihi sum primus qui talia gessi.

Quibus in versibus duo dicit, primo quod Soranus ille panoplia integra tectus Danubium trãsnatarit; deinde, quod sagittam arcu emissam, & adhuc in aere pendentem, aliâ sagitta arcu suo excussâ fixerit impetumq́ eius fregerit. Quorũ prius Plutarchi aliorumque, & præsertim Taciti iam allatis testimonijs demonstratum satis puto. Et illud seorsim de Hadriano, Dionis epitomiastes Xiphilinus, quamvis sigillatim huius facti, quod proprie Sorano tribuit Svidas, non meminerit, hunc in modum narrat: Quum ità milites exercuisset (*Hadrianus*) EQVITATVS BATAVORVM Danubium armatus perrurupit. Qua re animadversa, Barbari ità Romanos obstupescere cœperunt, ut in se invicem conversi, ad componendas controversias, quas inter se habebant, Hadriano arbitro uterentur. *Hactenus Xiphilinus; equitatum scilicet Bata-*

vorum

vorum armatum perrupisse Danubij fluentum referens, nec addens quidquam de reliquo. adeo ut postremi versus istius elogij, & quo dicitur, Exemplo mihi sum primus , qui talia gessi, *proprie Soranum spectent, quatenus nimirum, præter natatum; quo flumen armatus transierit, libratam simul in aere sagittam aliâ sagittâ figere erat ac frangere doctus assvetusq;.*

Atque hæc utraque, nandi, inquam, atque equitandi ars industriaque, cum Batavis passim ab authoribus priscis, veluti militiæ ipsorum insigne, tribuatur: Et Iunius etiam, collectis veterum aliquot testimonijs, idem docte demonstrarit, ac repetierit hoc loco Cluverus; tamen unum, quod etiam Tacitus notavit, omittendum haud fuit; Batavos nimirum maximè vel tum valuisse, ubi ad manus res deductæ essent & cominus pugnaretur. Tunc enim mucronibus præcipuè & clypeorum umbonibus ora passim fædare solitos, eâque re sæpenumero occasionem victoriæ dedisse; & hoc illis veluti vetustate militiæ exercitatum fuisse, sæpe memoratus iam author refert. Ita enim habet in vita Agricolæ: Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, & arcessendas plerique legiones monebant, promtior in spem & firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla consti-

constitit. Ac primo congressu eminus certabatur. simul constantia, simul arte Britanni, ingentibus gladiis & brevibus cetris, missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum perfundere: donec Agricola tres BATAVORVM cohortes, ac Tungrorum duas cohortatus est, ut REM AD MVCRONES AC MANVS ADDVCERENT. quod & IPSIS VETVSTATE MILITIÆ EXERCITATVM; & hostibus in habile parva scuta & enormes gladios gerentibus: nam Britannorum gladij sine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant. Igitur BATAVI miscere ictus, ferire umbonibus, ORA FÆDARE, &, nactis quæ in æquo obstiterant, erigere in colles, &c. *Hactenus Tacitus.*

COLLATIO SVPRA DICTORVM *cum præsentibus gentis moribus.*

IAm singula recolligamus. Et quidam primum illud Batavorum militiæ insigne, equitandi *nimirum* cura & ars, *si paucos præsertim Gelrici tractus excipiamus, Batavis, quatenus Hollandi & veluti paludum ac lacuum aquarumq; undiquaque accolæ dicam an incolæ sunt, nunc omnino non convenit. Vnde & Erasmus huc respiciens, & Cannium suum eruditè simul ac iocosè ludens, utpote Amstelodami apud Hollãdos*

& in

& in mari quasi natum, ideoq; rei equestris atq; equitandi omnino rudem, ita affatur.: Sed trăsmisso mari aliud te periculum excipiet, tibi fortasse gratius. Nosti Proverbium, *βάταυος ἱππεὺς.* Cæterum θαῤῥα, equi sunt prudentissimi, Norunt viam, nec egent calcaribus; Tantum illis permitte frænum, non desinent currere, donec te quò conducti sunt, vel sarcinæ in morem pervexerint, *innuens scilicet & alludens eo adagio ironicè partim ad veteres Batavos equitandi peritissimos; sed præcipuè ad familiare nobis, & in Hollandos hodieque iactari solitum vernaculo idiomate, dicterium;* **een Hollander te peert:** *quo uti nunc mos obtinuit cum ignarum & equitandi prorsus imperitum volumus intelligi. Quamquam olim & in universum de Batavis omnibus, sed præsertim de ijs, qui Rheni divortijs quam proximi erant, intellectum existimem eequitandi studium. Nam & Caninefates quoque, Kennemarij sive* **Kennemers** *hodie, qui tanto interiores & oceano, ut ante monstratum, accolæ erant, equitatus similiter laude passim afficit iam toties nobis memoratus historiographus.*

Epist. ad Cannium.

Alterum autem quod natatum, *& tertium quod* itionem ad manus & mucrones *spectat: utrumque adhuc gentem commendat, ac vestigia sua habet: Licet posterius commen-*

detne

detne an dehonestet magis incertum facit aurigarum lintrariorumque atque helciariorum similiumque inter se, ubi potu præsertim & ira incaluerunt, passim sævientium atque ora mucronibus fœdantium furor. Hoc enim, **een snee geven/de beck opsnyden** / *gentilicia loquendi consvetudine dicunt, aliaque formularia, ut* **breeck aff** / *cum extremam mucronum cultellorumque aciem detruncandam, & cæsim non punctim decertandum consentiunt, usurpantes. Vt facile pateat ab antiquo & primæva hoc gente manasse, cui illud, uti ostendi ex Tacito, vetustate militiæ & in prælijs solenne fuerit; cum nunc, occasione sæpenumero levissima oblata, in suos & obvios, belluarum in morem sociale bellum exercentes, vertant, militiaq; suæ priscum & laudabile insigne hoc pacto prophanent ac contaminent.*

Habitus & species veterum Batavorum ex authorum descriptione & simulachro, quod Hagæ Comitis habetur, indicata.

P*Linius colore cãdido & flavis capillis trucesque esse eas gentes, quæ Boreæ ac Septentrioni propius adhabitant, torreri verò & veluti adustos conspici australiores, his verbis significat:* Æthiopes vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barba & capillo vibrato, non est dubium: Et adversa plaga mundi atque glaciali CAP. XIX. 46.

candida

candida cute esse gentes, flavis promissas crinibus, truces vero ex cæli rigore. *Unde & omnes passim Germanici nominis cæsariem aluisse flavam, & in ijs Batavos* auricomos *Silio nominatos constat in quadam ad Cæsarem Germanicum apostropha, ubi hæc habentur:*

Lib. 3. Bel. Pun.

At tu transcendens Germanice facta tuorum,
Iam puer auricomo præformidate Batavo,

Quin & affectasse eiusmodi capillitium, quibus beneficio naturæ minus id conspicuum esset, inde liquet quod Epigrammatarius certum lixivij genus Batavam spumam, *&*, causticam spumam, *itemque* pilas Mattiacas *dicat, intelligens nimirum per pilas præsertim Mattiacas, smegma illud sive saponem in trochiscos & orbiculos conformatum, quo lotum identidem capillitium flavescebat. Huc spectant ista epigrammatarij, quem dixi, Martialis*; Et mutat latias spuma Batava comas: *item*, Caustica Theutonicos accendit spuma capillos · *& denique hoc distichon, quod totum adscribam:*

Lib. 14. Epigr.

Si mutare paras longævos cana capillos:
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Et ut flavus capillus barbitiumque insitatum & novum Italiæ erat, ita & oculi grandes & pupilla præsertim cærulea horrorem incutiebāt. Unde Iuvenalis: Cærula quis stupuit Germani

mani lumina? *Et Tacitus, ad Plinij verba propius accedens*, oculos *esse* truces & cæruleos & comas rutilas *Germaniæ populis in universum dicit. Fuisseq́, insuetum adeo ac terrificum hunc cultum vultumq́ urbis indigenis, ut etiam personis & oribus in morem Batavorũ Germanorumq́ confictis prodirent, seq́ ostenderent, si quando alios insolito incessu ludificare, & habitum exoticum imitari ac ostentare animus esset, ex eo Martialis, cuius lemma est* persona Germanica, *videtur haud obscure intelligi: quod ita habet:* Lib.14 Ep.

> Sum figuli lusus, rufi persona Batavi.
> Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Dicit enim pueris & ignaris terrori esse eos vultus atque ora, quæ alijs, & rerum gnaris, deridiculo erant. Paulo aliter hoc epigrãma interpretatur Hadrianus Iunius, dum lectionem sequitur non Aldi & manuscriptorũ codicum, sed vulgo editorum, in quibus est non puer *sed* pater.

Personæ vero atque imaginis eiuscemodi ideam, seu exemplar potius proavorum nostrorum, exhiberi nobis existimo inter illa antiquitatum rudera circa maritimam Catvici oram atq́s arcem Brittenburgicam olim ac Romæburgum reperta, quorum haud pauca ex ædibus Wassenariorum, ubi hodieque, in fallor, Hagæ Comitis nonnulla asservantur, artifici penicillo graphicè expressa in decimum Caput Bataviæ suæ coniecit

Iunius. Nam. præter cetera, ubi uno veluti complexu exhibetur navigiũ, *iteq;* Herculis clavigeri *ac* Victoriæ *simulacrũ, loco ibidẽ quarto visitur etiã* humanũ caput, *sive vultus, capillo & barba promißiori atque oculis disiẽtis ac trucibus, Batauicã, seu, ut lemma Martialis habet* Germanicã personã *& ora, cuiusmodi authores iã citati retulerũt, ad vivũ referẽs: quãuis Iunius de eo quod statuat, nõ habere se fateatur. Sanè præterquã quod capillus promissus & visus truculẽtia verbis illis veterũ de Germanis & Batauis ad amußim respõdeãt, accedit & barba, quã Romani nõ alebãt, utpote qui mentũ & ora genasque perpetuo tonsi ac rasi cõspiciebãtur, ut indicant hodieq; sigilla eorũ ac statuæ nũmique, qui sunt in manibus: Quamquã postmodũ, ut solent paulatim etiã ipsi habitus & mores mutare, inter Imperatores primus, quantũ memini, Hadrianus barbitio, ad morẽ fere Germanorũ hostiũque insignis cõspici voluit; iteq; Septimius Severus aliique exinde, quos nummi indicãt. Refert quinetiã Herodianus Antoninum imperatorẽ capiti flavam cæsariem adaptare solitum, quæ mẽtiretur Germanicæ tonsuræ modum; sicuti & Domitianum aliosque captivis & adscititiis comis capiti additis cultum eo pacto & decorem quævisse Martialis non semel memorat.*

Hollandiæ, quæ pro parte *Batavia* antiquitus fuit, appellationis occasio.

47. *CVm hodie haud minima Batavi agri portio Hollandia*

Hollādiæ *nomē ferat, eoq́; iam titulo, antiquato penitus* Bataviæ *vocabulo, plusquam annos quingentos frequentetur, occasionem eiusce appellationis, quantum res longo ævo involuta permittit, edisserere, aut repetere potius hoc loco ex Commentario nostro Rerum & Vrbis Amstelodamensium, ubi hæc propemodum leguntur, operæ pretium judico:* Lib. 1. Cap. 1.

Hollandiæ *appellationē esse nuperā, nec ante Comitū ævū auditiōe celebratam, neminē in historiarum lectione vel leviter versatum, potest fugere. Tunc enim Comitum, inquā ævo, Francorum regū munificētia à reliquo Bataviæ corpore, quæ Gelriæ pars est, separatam, & veluti portiunculam aliquam magnæ* Austrasiæ *Theodorico primo liberaliter donatam hac lege constat, ut hostium ac piratarum præsertim incursionibus tutam undiquaq́; regionē præstaret. Vnde præter generalē illā, sub* Austrasiæ *tunc vocabulo, delitescentē nuncupationē, invenio Hermannū Cōtractum, qui annis ab hinc quingētis & sexaginta claruit, peculiari nomēclatura solius* Fladertingæ *nomine Hollandiā complexum; Diedericū enim quartum eius nominis Comitē,* Fladertingæ Marchionē *appellat: Et iterum ipsa* Fladertinga, *itemque* Rhineburgum, *eiusdē æui scriptoribus* Frisiæ *urbes intellectæ, nulla* Hollandiæ *vel leuissima mentione tunc addita. Nā & Adamus Bremēsis, Ecclesiasticæ historiæ Borealium populorum nobilis scriptor,* Nordvicū

situm, tum fæni proventum uberrimum, quando altiora quæque arva sationi dedicentur. Qui vero ab **holt** *nomen atum malunt, omnia olim arbustis & roboribus inhorruisse deprædicāt. vel denique ab* **Hol**/*id est*, à soli cavitate *deducūt*. Opinionum earum Examen.

Sed priores illi, quamquam à veritate haud aliena videantur adducere, quod ad fæni ubertatem attinet, quomodo tamen istam etymi flexionem approbare politioribus poterint? Sic etiam illa ex lignis arbustisq́ notatio, nonne durior meritò asperiorq́ videatur purgatis præsertim auribus? ut omittam dicere paucula in Hollandiæ ea parte, quæ Hollandia dicenda propriè, superesse loca, in quibus eiusmodi saltus ac nemora exstitisse antiquitus, certo possit asseri. Nam quæ hodieque exstant prope Hagam atque alibi, in locis insulæ editioribus, versus arenarios præcipue oceano obiectos colles, nemuscula, evertant potius, quam firment eiusmodi opinionem, cum ea ita nemora & silvas appellare liceat, ut nanum, Atlanta. Magis arrideat eorum sententia, qui à soli cavitate atque uligine etymon vocis advocant, cum omnibus constet tellurem regionis minime esse solidam, sed palustrem, & ad pedum pulsum vacillantem nixuique facile cedentem. Unde & proverbij locum obtinuit, **Hollandt hollandt.** *Idque & vetustissimi authoris, qui panegyrim Maximiano Herculeo, annos propemodum ante mille trecentos, dixit, egregio testimonio & illustrandum & roboran-*

dum censeo, qui ita de Batavia in universum tūc loquutus est: Quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis, Cæsar, vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit, quamque divortio sui Rhenus amplectitur, *pene* (ut cum verbi periculo loquar) *terra non est*, ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non solū qua manifesto palustris est, cedat ad nixū & hauriat pressa vestigium, sed etiam ubi paulo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur, ut sentire se procul mota pondus testetur, ita ut res est subiacentibus innatat & suspensa late vacillat; ut merito quis dixerit, exercendum fuisse tali loco militem ad navale certamen. *Et ante eum Tacitus lib. 4. historiarum*: Fluxu autumni, & crebris pluvialibus imbribus superfusus Rhenus, palustrem humilemque Batavorum insulam in faciem stagni opplevit.

II. Opinionū Caput.

Iam qui ab historia nominationis originem auspicantur, firmiter ac semel statutum volunt Hollandiam Gothicæ Danicæq; gentis coloniam esse, ut & Zelandiam. Eumq; in finem plurima ex Halicarnassæo proferunt de coloniarū in alias oras deducendarum ratione. Quin & eos addūt, qui Colonijs constituendis destinantur, verso solo, plerumq; solere similia veteribus sedibus loca deligere, quibus nomina imponant, & patrijs vocabulis,

tabulis, quib. assuevere, fluvios, arces, opida, municipia vicos ornare. atq; ita haud alia quoq; causa motos olim Normannos volũt Nãnius Iuniusq; eos nimirum Olandiæ ac Zelandiæ nobiles in Codano sinu insulas, cõstante in hunc usq; diẽ appellatione inclytas, cum socia manu deseruisse, ventisq; vela faciẽtes, classe Batauorum Zelandorũq; agros tenuisse, eosdemque insularum Olandiæ ac Zelandiæ, quas reliquerant, nominibus, ut pote novas Colonias, donasse.

Quæ tamen opinio quid & quantum veritatis habeat, hinc apparebit. Nam primò, si etymõ videamus, & vocis utriusque genium, lõge erit aliud Olãdia, *aliud*, Hollandia. Oelãdia *enim Danis dicitur ab* Oe, *quod insulam illis significat; sicuti & nostris olim maioribus* Eil *eadem dicta ab* ydel *&* oede / *quibus loca deserta notabantur. Non igitur respõdebit* Oelãdia Hollãdiæ, *etiamsi, quod conatur Iunius, adspirationis notam adijciamus. Nõ enim* olãdia, *sed* Oelandia, *vel, ut ipsi hodieq; Dani per O litteram, transmissa virgula, scribere & pronunciare solẽt,* Olãdia *nominatur. Deinde nõ ex ista Oelandia exigua fere nec admodũ culta Svedici sinus insula, sed è viciniori Norvegia ac Cimbrica Chersoneso prodijsse præcipue harpyas istas verius est. Unde nec* Olãdi, *verũ* Normãni *vocitati sunt. Cuius etiam nominis sui luculẽtum vestigiũ Galliæ maritimæ parti impressum perpetuũ reliquerunt. Et si quis res illas atq; expeditiões mariti-*

Superiorum discusio.

mus Borealium gentium accuratius inspiciat, tres praecipue earum aetates inveniet, ac tribus illis aetatibus, tria quoque diversa eorundem nomina, sed nusquam Oelandiam aut Oelandos nominatos. Cum enim Engisto ac Horsa ducibus in Britanniam, quasi auxiliares à Vortigerno adversus Scotos ac Pictos, annum circiter 449. vocarentur, Angilorum, Saxonum ac jutarũ *nominibus, Beda testante, censi fuerunt. Quorum* jutae *hodieque appellationem suam in Cimbrica Chersoneso retinent. Post id annis plusquã sexaginta* Danorum *vocabulo ijdem noti Gregorio Turonensi, qui, si recta est lectio,* Chocliachum *ait Danorum Regem cum non invalida popularium suorum classe Gallorum littora infestasse, anno 516. Ac denique ab illo tempore longum de ijsdem silentium apud authores est, per tria propemodem secula. Nam ubi tertium ac postremum eorum audita sunt arma, sub extremum nimirum Caroli Magni aevum,* Normanni *appellati sunt; sicuti & annis continuo sequentibus sub Ludovico videlicet atque inde Carolo: Qua etiam tempestate* Danos & Danemarcham *in usum appellationis denuo resumptam reperio; sed obiter tamen, & ità, ut Normannico semper nomini praerogativa fuerit. Unde ad annum 882. ita Sigebertus loquitur:* Normanni, adiunctis sibi Danis, Frãciam & Lotharingiam pervagantes &c. *Itemque ad annum 884. Regino:* Eodem anno Nor-

Normanni, qui in Kinheim è Danamarcha venerant, adſentiente Godefredo, Rhenum navigio aſcendunt. *Quæ cum ità ſe habeant, qua obſecro ratione Hollandia accepiſſe nomen dicetur ab Oelandia, Borali aliqua regione, aut populo, cuius in temporum illorum hiſtorijs ne tralatitia quidem uſpiam, illis ætatibus, mentio? Nec minus argumenti levitatem prodit temporis (quo invaſa potiſſimum ab iiſdem Normannis Hollandiæ littora) diligentior ad calculum revocata ratio. Iunius enim incidiſſe id vult in annum ſalutis 837. quando ab illis Batavodurum ferro atque igne vaſtatum, Friſijsq́; tributum impoſitum eſt. At longè iam ante, id eſt, luſtris aliquot in antiquo quodam bonorum prædiorumq́; Eccleſiæ Traiectenſi donatorum tabulario, Hollandiæ ut pote vici, vocabulum diſerte reperias. Quapropter etiam VVilhelmus Heda Præpoſitus olim Arnhemienſis, vir, ut illud ferebat ſeculum, haud vulgariter eruditus, tabulam, cuius iam memeni, ſuis de rebus Traiectenſium Commentarijs, qui iam nuper demum publici iuris facti ſunt, interſeruit; nec iſtā quoque Hollandiæ originationem, inter ceteras, referre, inſuper habuit, ubi ait pag. 240.* Fuit & vicus Hollant, à quo forſan nomen ceptum, ſicuti Gelria, Clivis, Iuliacum, Brabantia. *Quin & Marcellinus, qui S. Sviberti vitam, utpote peregrinationis eiuſdem Sviberti Comes, contexuit, aliquoties Hollandiæ*

meminit. Claruit autē Svibertus anno 698. cum ne nomen quidem Normannorum auditum adhuc esset uspiam. Sed Marcellini istius fortasse fidem eleuare quis possit, at illam Tabularij ecquis audeat? Quocirca frustra fuerint, quicunque Hollandiæ appellationem, vel ab Olandia, Codani sinus insula; vel à Borealibus illis profectā, aut illarum dæmum incursionum tempore natam cupiunt. Quod autem nobilissimus Dousa, quasi de Iuniani sententia (quam alias pressè sequitur) subdubitans non abnuere etiam videatur, siquis non tantum Normannicis, sed Vendicis quoque populis, quos Borussos hodieque ac Prutenos vocitamus, Hollandici nominis auspicium debere contenderit, quod intra eiusdem populi ditionem, haud procul Elbinga oppidum Hollandiæ *vocabulo, integrá aspirationis nota reperiatur: Ei respondendum id oppidi Hollandorum potius, quam Hollandiam eorum coloniam videri; quod & testari ipsorum incolarum ibidem relationes & mores ipsiq; iura comperio. Nec abs re quis dixerit tunc auspicium Prutenicæ istius Hollandiæ sumtum, cum Amsteliorum & Velsiorum familiæ, ob necem Florentio Comiti illatam, Hollandia extorres, ad novas ac dissitas quærendas sedes agerentur. Et firmet hanc sane sententiam, quod Dantisci quoque, extra urbis pomæria, simili occasione, Scotis primum, atque alijs exinde catervatim ibi sedem figentibus, Scotlandia enata fuerit. Quin & in ipsa*

Lib. 6. Annal. Holl.

Borussia,

Borussia, cum iam Alberto Brandenburgico, Crucigerorum ultimo, Ducatus is omnes cessisset, exortum denique ob parem Brandenburgensium assiduum affluxum oppidum est, Brandenburgi *vocabulo.*

Statuerim idcirco, salvo aliorum judicio, vicum illum **Hollandt** */ex Heda iam modo recitatum, Hollandiæ appellandæ occasionem atque originem dedisse antiquitus; ipsumque vicum ex eventu & soli, quod dixi, palustris indole ita nominatũ, obliterata iam Batavici nominis, versus insulæ ac Rheni præsertim ostia, nuncupatione. Nam* **Broick/ Venne/ Hollandt/ Goir/** *unum idemque esse, & loca palustria significasse nostratibus olim, testis est locuples Gerhardus à Schueren, Cancellarius quondam Ducis Clivensis, in Dictionario Theutonico Latino, quod anno 1477. concinnatum, Theutonistam ipsemet appellat. Hodie quo loci inveniendum id vici, non habeam dicere. Coniectura interim assequi licet, Traiectum inter & Rhenum, qui Leidam ducit, exstitisse. Nam & diploma Wilhelmi Sexti, in serie Comitum vigesimi quarti, annos ante ducentos & quod excurrit, Reynerscopijs ac Bylefeldijs indultũ de rivis fossisq; in Amstelam ducendis, diserte ijs in locis* **der Hollandermeent/** *itemque* **der Hollãder wech/** *reponit. verba ut habent vernacula, in gratiam popularium subijciam.* **Wy hebben de**

Opinio nostra eaque firmata.

de voornoomde goede luyden verkocht ende ghegunt / ende overgeven &c. tot haer besten oorboor / ende profyt / van wt den Rhyn tot in den Amstel / ende den waterganck / die beginnen zall in den Rhyn / tusschen Baestezdam / ende Haemwicker Kai / ende voorts den ouden Rhyn langhs / tot aen den Bruyndyck toe / ende voorts door den Bruyndyck der Hollander meent langhs / tot Kockengen toe / ende voort dor Kockengen achter aen Spengen / by der ruyger zuytweyde / ende van daer voort die Hollander Wech / opstreckẽde door Wilnis / ende voort van daer / door die waner in de oude Rhyn / ende also voort op tot Cocebiers toe / in den Amstel.

Quando vero Hollnndiæ Comites eum primitus titulum, ut Hollandiæ Comites dicerenttr, acceperint invenio factum anno 1083. & omnium primum fuisse Theodoricum, eius nominis quintum, qui repudiata antiqui moris simplicitate, titulum maioribus suis observatum, adiectâ regionis aut gentis, cui præerat, appellatione auxerit atque ampliarit; ut ita non quidem Hollandiæ, *sed* Hollandensium Comitem *se scripserit, quemadmodum ex diplomate, ipsius principis Theodorici nomen ac signum præferẽte, liquido patet. cuius archetypum in archivis Egmon-*

Egmondensis Abbatiæ coram olim oculis usurpasse idem, cuius iam supra meminimus, VVilhelmus Heda evidentissimè testatur. Eius apographum ex eiusdem Commentarijs manu exaratis cum cura & fide transscriptum suis Hollandiæ Annalibus inseruit nobilissimus Dousa: demonstratq́; in Hedæ exemplaribus ubi Theodorico quarto hoc tribuitur, non quarto, sed quinto meritissimo deberi: factumq́; librariorum atque exscriptorum incuria ut quartum pro quinto appinxerit. Sed argumenta ipsásque eius rei rationes qui desideret, ipsum, quem dixi, Dousam adeat, prolixe & evidenter hac demonstrantem Annalium suorum decimo. Diplomatis initium eiusmodi est: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Theodoricus Dei gratia HOLLANDENSIUM Comes *sub finem habetur*: Actum est hoc publice in Flardinga coram populi multitudine, anno Dominicæ incarnatiōis MLXXXIII indictione VI. Regnante IV. Henrico, XX. anno imperij sui. &c. Lib. X. Annal. Holl.

Hollandiæ facies ac districtus ante annos trecentos, & qualis exinde & quousque porrectus fuerit, ex veterum ac recentiorum monumentis demonstratum.

Post indicatam, antiquato Bataviæ vocabulo, Hollandici nominis occasionem atque originem

nem, illud quoque addendum sequitur: Quod ager Batavus, postquam in Comitum jus ac potestatem cessit, Hollandiæ *appellatione in usum iam recepta, contractissimi minimique peculij sit redditus. Nam præter Traiectum & Batavodurum, quæ Episcopi sibi vindicabant, etiam Neomagum cum Batauiæ superiori parte imperij territorium mansit, seperatum sc. ab Hollandiæ Comitatu. Nam anno demum 1240. imperialem etiam urbem, Neomagum inquam, Otho Nassavius Gelriæ Comes octavus, ope & studio Gulielmi Comitis Hollandiæ, Imperatoris Romani,* XXI. *millibus marcarum argenti purissimi redemisse suæque adiecisse ditioni annales loquuntur.*

Quin & Rhythmicum Hollandiæ Chronicon, annos ante trecentos concinnatum bipartitam præcipue Hollandiam suo ævo statuit, Borealem & Australem. Borealem *baud ultra Harlemum producit, eiq;* Delphos, Leidam, Sciedamum *aliaque cis Mosam oppida includit., imo & ipsum* Haerlemum *non Hollandis proprie, sed Kennemarijs vel, ut scribunt nonnulli, Kannemarijs (qui üt ante ostensum, Plinio & Tacito Caninefates) adscribere videtur, cum inquit,* **Haerlem in Kenemerlandt**. Australiori parti, *quam aquis absorptam maxima sui parte refert, anno 1287. attribuit præsertim Geertrudenbergenses, Dordracenos ceterosque trans Mosam sitos. Amstelodami quoque ad annum 1296. nominatim semel,*

mel, agri vero Amstelani sæpenumero meminit: sed ut territorij adhuc Dominorum ab Amstel: Quod exin, post cædem videlicet Florentij, Comitibus Hollandiæ cessisse alibi et suo relatum est loco. Mudensem etiam arcem eiusdem Florentij Comiti fuisse ait, sed ut pretio eius emtam, eiusque opera atque impensis luculentius exædificatam. Nam ait:

Sy voeren metten Grave/
Te huse dat hy met zyne have
Hadde gekocht ende doen maken ꝛc.

Et post pauca, propugnaculum atque arcem, non simplex fuisse ædificium, plenius indicat

Atque hæc, teste ante, ut dixi, Rhythmici Chronici authore Hollandiæ facies, ante nimirum, trecentos & quod excurrit, annos. Post, adspirante victoria, subactisque occiduis Frisijs ad usque Flevi, in oceanum Borealem, exitum, omnia Hollandici iuris ac nominis reddita. In Insula tamen Batavorum, cuiusmodi eam Vahali & Rheno medio determinatam indicavimus supra, illud quod à Culenburgo inferius, oceanum usque iacet, Hollandiæ accensum; cui è Goyolandia cis Rheni medium Alveum accessere Vesopum, Naerda & Muda ijsque finitimi Amstelandij. Vt ita quidquid est cis ultraq; Mosam & Rhenum quoque medium ipsiq; Haerlemens[i]s ad Hollandiam Australiorem nunc vulgo referantur;

quicquid

quicquid autem ultra est, ut Frisij, de quibus dictum, Boreali Hollandiæ accenseantur. Quamvis diplomata discriminēt & Frisios *fere* occiduos *veteri nomenclatura appellēt. Plinius, ut ante notatum,* Frisios in Rheno, *ad differentiam eorum, qui* trans Rhenum *in continenti agunt, nominat: sicuti & Tacitus, eiusdem discriminis gratia, illos* minores, *hos* maiores *indigitavit, ut & supra similiter diligenter indicatum.*

Hollandorum adversus maris & æstuum excessus aliaque opera, tum & commercia & ad bellicam quoque laudem præsertim mari spectantia nonnulla obiter, & veluti incomparationem priorum, posita.

49. *Non omittenda hac porro occasione gentis industria, & ad solum præsertim suum (quod ut supra ostendimus, insito non tantum madore flexile, sed & vicini maris iniuriæ perpetuo obnoxium est) sartum tectumque præstandum cura & studium. Nam adversus oceani & Cauri furores murmurantisque maris fremitus iuxta Pettemum, molem immanem exstruxere ardui montis instar, quem à Canino & Scyllæam rabiem imitante latratu, vocaverunt* t' Honsbosch / *quasi silvam caninam dicas. Pali sunt valide confibulati & fistucis alte depacti, quorū spatia intermedia grandibus saxis acervantur stipanturque: hæc moles ad tria passium millia secun-*

ſecundum mare porrigitur. Anniverſariæ fabrorum atque opificum operæ aſsidue illam communiunt, delectis ex optimatum numero viris induſtrijs pro magiſtratu illic quodammodo agentibus. Hi trabes convehi, ſaxa & marmorum pondera comportari, ubi res & uſus poſtulaverit, ſedulo imperant. Et quia porro univerſum interius Hollandiæ ſolum declive ac paluſtre eſt, paſsimque aquis tranſmeantibus udum, inventa ſunt molæ aquariæ, quarum alæ vento circumactæ tympanis quibuſdam undas in altum evehunt, atque in euripos incileſque foſſas eiectant, ex quibus poſtea, ſublatis cataractis, quotieſcunque oceani reciprocantis æſtus refluit, in maris ſinum aut amnem & ſubinde, apertis cataractis, per aggerum moles, exuberans aquarum copia effunditur. Nam & agger nō tantum adverſus oceanum poſitus eſt, ſed interiora maria & lacus ſua ſimiliter cum ex terra tū alga munimina habent. Et abſque ſane illis eſſet, verè, ut ante ex panegyriſta citavimus, cum verbi periculo Hollandiam, terrā dicamus; cū aquis & lacubus, qui extra aggerum moles ſunt, ipſa terra, quæ interior eſt, depreſsior multo ſpectetur, adeò ut non terra, ſed aqua ſit, hos ſi tollas aggerum obijces. Qua incolarum cura induſtriaq́; Hollandicus ager eam bonitatem adeptus eſt, ut cum quovis ſolo certare poſsit. Paſcuorum ea gratia atque ubertas eſt, ut boum bucularumq́; infinita alat armenta. Hinc è caſeis & butyro, quæ exportantur

ad exteros, in singulos annos ultra ducenties sextertium cogi putatur; quæ summa ad decies centena caroleorum millia extenditur, præter ea, quæ in quotidianum alimentum, quo præcipue tenuioris fortunæ homines utuntur, concedunt. Nec tenuioris tantum fortunæ hominum; aut, ut Plinius vult, barbararum gentium iste cibus est, sed optimatum quoque, imo & regum & principum mensas id edulij genus nequaquam hodie aspernari in confesso sit. Est enim Gravesandicus & Thessalicus caseus, ut de Leidensi ac Edamensi taceam, Parmensi ac Placentino nihilo inferior. Nec minor hinc ubique lactus est copia; adeo ut Ioannes Benningus, Consiliarius olim Curiæ Hollandicæ, certa observatione minimeq; fallente calculo Guicciardino probaverit, tantum Assendelphi & aliquot proximis in vicis, unius anni spatio, lactis colligi, quantum è Germania superiori Rhenensis vini Dordracum quotannis devehatur. Segetes etiam habet, rarissimas licet, præstantissimas tamen: In collibus arenarijs cuniculorum magnam frequentiam, inq; Hagiensi nemusculo capreolorum damarumq; greges, & passim avium capturam quæstuosam, imprimis anatum, anserum, & autumnalibus mensibus scolopacum, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices vocat, nostri sneppas: *Nemesianus, ut posui, scolopaces. Est & halecum, quos haringos nominamus, etiam in Austrino sinu, præter alia genera pisciū, captura*

captura quæstuosissima. Ob lignorum vero inopiam, cespitem fossitium ex intimis terræ visceribus, ipsisq́ adeo ex aquis ac fundo lutoso eductum soleq́ ac vento exsiccatum ad focos adhibent, ut vel inde pateat nihil esse inficetius, quã à lignorum arborumq́ copia venari Hollãdiæ *etymon, de quo superius indicatum est. Atque hic minime præter rem fuerit elegantissimum Iosephi Scaligeri* de miraculis terræ Hollandicæ *Epigramma adijcere:*

Ignorata tuæ referam miracula terræ
 DOVSA, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic lassat textrina Minervæ:
 Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges:
Non capiunt operas fabriles oppida vestra:
 Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi:
 Pascuus hic tamen est, non cerealis ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis.
 Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe seges est rarissima lini.
 Linifici tamen est copia maior ubi?
Hic mediis habitamus aquis: quis credere possit?
 Et tamen hic nullæ, DOVSA, bibuntur aquæ.

Quorum quintus versiculus, si non ad eas tantum fabrorum operas, quæ ædes & utensilia domestica è ligno conficiunt, sed ad naupegos quoque, & eorum præsertim lignorum copiam, ex quibus nauigia maiora minoraq́ fabricantur, referatur, paria rebus proponere intelligetur: Nam profecto, si exiguum illum

Hollan-

Hollandiæ districtũ, & vim ac numerum maiorum navium videamus, quæ ibi indies fabrefiũt, indeq́ quotidie solventes utramq́ Indiam, Guineam, Italiam, Hispaniam, Libyam, Aegyptum, Græciam, Galliam, Britanniam, Hiberniam, Norvegiam, Sveciam, Daniam, Poloniam, Borussiam, Sarmatiam, Moscoviam & orbis propemodum universi regna adeunt commercijsque suis frequentant, pæne cum ædibus urbium vela & naves computemus, præsertim si & minores illis accedant liburnicæ, quæ interiora maria ac flumina passim sulcant. Nec his iam accenseo prætorias classes in omnem eventum paratas, quæ flumina & portus, oceanumq́ cum occiduum tum Borealem belli tempore frequentare, & tutam undiquaque regionem atque introitus præstare solebant.

Quo cum animum verto, subit cogitare eas præcipue gentes & regna, quæcunque mari valuerunt, res quoque semper magnas effecisse, pomæriaque sua aut facillimè tutata, aut etiam auxisse feliciter, cum res & occasio darent. Hinc olim, & apud antiquissimos, Tyriorum & Salomonis navigationes celebratæ, quibus ab ultimis Ophyranis aurum immensasque gazas Hierosolyma transportatas accepimus. Hinc Græciæ opes, & Carthaginis vires, superatis iam Hispanijs, ac vicinis in mari Tyrrheno insulis: dum tandem Romani maritimæ rei intentiores, invasis aliquoties Libyæ portubus atque incensis eorum navibus,

vibus, trecentarum, & quod excurrit, navium classem in Pæonos immittunt. Qui navium numerus licet pro magnitudine Romana haud tantus videatur, tamen huiuſmodi ea claſſis aſpectu ipſarum navium fuit, ut non tantum Græci & Macedones, ſed etiam potentia Perſica, quæ mare texit mille & ducentis velis, non potuerit, iudicio Polybij, conſiſtere in comparatione. Et ut ad propiora eamus; Quid Dani & Normanni? non illi olim vicinis gentibus ac regnis hac maxima re terrori fuère? & tandem in Britanniam impetu facto eam ſibi aut vectigalem aut ſubditam reddidere; deque Francorum regno abrepta ingenti lacinia, de nomine ſuo Normanni Normanniam condidere? Polyb. lib. 1.

Vide, ut ad noſtra revertam, haud temerarium habeam, quod apud Romanos quondam, & anterioribus multo ſeculis, honorata Batavis militia; tributa & collationes, quibus alij Belgarum tenebantur, remiſſæ fuerint. Videbant enim Romani gentem non terrâ tantum, ſed & mari validam, &, ut Tacitus de ipſa inſula Batava ſignatè loquitur, tranſmittendum ad bellum opportunam, maxima commoda præſtare imperio poſſe, ſi obnoxia haberetur; & viciſſim damna inferre, ſi ſecus fuiſſet. Et nonne demonſtratum id à Caninefatibus (Kannemerlandij hodie ſunt) qui, cum Civilis metueret ne quarta decima Romanorum legio, adiuncta Britannica claſſe, affictaret Batavos, quà oceano ambiun- Lib. 2. Annal.

tur, eam classem ultro & aggressi sunt & maiorem navium partem aut depresserunt aut ceperunt? Et Batavi ipsi, pulsis à Frisijs & Caninefatibus Romanorum præsidiarijs, qui castella circa Flevum Frisijs opposita tenuerant, quamquam apud Romanos mererent simulantes remigandi imperitiam, officia nautarum propugnatorumq; impediebant, donec tandem Germanicæ ripæ puppes obijcerent, & ad postremũ gubernatores ac centuriones, nisi, ut refert Tacitus, eadem volentes, trucidarent; atq; ità quatuor & viginti navium classis, quæ Romanis militaverat, ad Civilem transfugeret aut caperetur. Ipsa Taciti verba ità habent: Pars remigum è Batavis, tanquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant; mox contra tendere, & puppes hostili ripæ obiicere, ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentes, trucidant. donec universa quatuor & viginti navium classis transfugeret aut caperetur.

Sed hæc antiquorum hominũ & cum Batavorum adhuc nomen vigeret. Postmodum Hollãdico vocabulo & sub imperio Comitum agẽtibus quãta eorundem, portuum & rerũ maritimarũ opportunitate, vires fuerint cum Frisij tum Flandri aliæq; vicinæ gentes intellexerunt. Vandalicæ quoque urbes, ubi anno 1438. cum Venetis, Hispanis, Prutenisque, qui tum in oceano Boreali

reali frequentißimi erant, mutuum fœdus iniissent firmiterq; statuissent Hollandos, sociatis viribus, è mari exturbare, quid in adversum tunc Hollandia potuit effecitq; suo malo expertæ fuerunt. Cum enim Osterlandis, petente Philippo Comite, Burgundiæ principe, cognoscendæ causæ dies dictus esset, adessentque Vandalicorum urbium legati, & mox etiam Hollandi, damna sibi, durante eorum cum Hispanis cęterisque fœdere, illata demonstrantes, eorumque restitutionem flagitantes, nec promittere ullatenus volentibus Vandelicis, apertum illis bellum indictum fuit. Confestimque prætorijs aliquot ab Hollando navibus properatis, quibus & suas adidēre Zelādi, ad arma & manus ventum est. Prima statim expeditione viginti hostium naves captæ. Hispaniæ Lusitaniæq; littus infestum obviis redditū. quidquid ex portubus solvebat in prædam venit. Venetis quoque (qui, ut dictum, Boreale hoc mare tunc etiam navigabat) pax nusquā fuit. Et breviter, exiguo temporis spatio illata sibi damna facillimè repararunt, paßimque terroris tantum adversarijs intulere, ut pæne soli ea oceani parte regnarint Cuius etiam nomine ex navigiorum summis in malo corbibus scopas in id signi extulerunt, quasi ij essent, qui mare prædonum ac nebulonum fæce turbatum purgarent. Referunt Hollandiæ annales hāc cladem prædixisse Vandalicis Henricum Rapesilverū *Dantiscanū, virū consularē & equestris*

 ordinis

ordinis, dixisseque (ubi de causa cognosceretur, nec attendere melioribus consilijs vellent) dormire ac quiescere leonem, caverent vero ne irritatum suo malo excitarent.

Hoc triennij propemodum bellum fuit: Et licet exin prædatorijs navibus, sub Carolo Burgundo, lacesserent subinde Galli, tamen velitationes ea verius, quam bellum, fuere. Donec tandem, elapso propemodum integro seculo, post longa otia haud tralatitium bellum exortum est. Nam Carolo imperatore defuncto, ubi ad filium Philippum Hispaniarum regem Belgarum imperium devolutum est, difficillima ingruerunt tempora præsertim ob edicta in Lutheranos, ut tunc vocabant religionis reformationi deditos. Promulgaverat ea edicta Cæsar pater, filiusque serio & severiter servata voluit. Quo denique factum, ut nobiles, cives, plebs omnisq́; pene multitudo Belgarum querimonias publice apud Gubernatricem Parmensem deponeret; testareturque interitum imminere patriæ nisi clementia & lenitate &, quod ad religionis negotium, conniventia rem moderaretur. Et illa quidem, quantum officij ratio sinebat, velificatione uti, & languidiusculè agere, subinde & connivere: dum Albanus Regis iussu succedit. Qui eam opinionem imbiberat, ut lenitatem, clementiam atque indulgentiam causam omnium tumultuum crederet: ideoque alias rationes administrandi rempublicam mente agitans, Mandatum, quod à

Rege

Rege acceperat, Parmensi ac Patriæ proceribus provinciarumque Ordinibus exponit. In eo potestas ei dabatur regionum & urbium gubernatores constituendi & abdicandi, omnesque pro arbitrio urbes atque opida muniendi, novas arces & propugnacula excitandi, militares copias auctorandi & exauctorandi: Rationes consilij, status, senatusque sanctioris & Financiarum inspiciendi. Quod mandatum typis excusum per omnes provincias divulgari iusserat.

Varius hinc animorum motus fuit: Hollandisque iampridem ab omni certaminum genere feriatis ad novas vires veterum victoriarum memoria quasi recolligendas Albanus tum occasionem dedisse dicendus. Et passim iam urbium defectiones aut nutationes nunciatæ: Principum quoque virorum, ut Egmondani & Hornani, subiecta securi capita. Quorum exemplo Guilielmus Nassavius, *Hollandiæ Zelandiæque Gubernator, sibi quoque metuens, cum haud exigua procerum ac civium multitudine, qui Regi saniora consilia suggesta optavissent, quasi extorris agens, manu tamen & mente consilioque nunquã Patriæ deerat. Dum tandem exulum aliquot classis veluti* ἀπὸ μηχανῆς *laborãti causæ salutaris adfuit. Præerat huic* Guilielmus è Comitum Marchensium *prosapia nobilis apud Eburones*, Dominus Lumæus. *Hi Kal. April. quadraginta navibus ex Angliæ portu Dovera solventes in omnem eventum Enchusam dum*

 petunt

petunt, obviam habuerunt navigium Antwerpiense ex Hispanijs veniens pretiosis mercibus oneratum. indeq; in aliam navem Cantabricam incidentes utramque superarunt & suae potestatis fecerunt. Cumq; ventus esset contrarius Enchusam cursum tenere haud potuerũt. Quapropter ad insulam Hollandiae Voornensem, ita ferente vento, & iam urgentibus fatis, navigarunt, iactis anchoris & suorum aliquot in terrã expositis, intempesta nocte oppidum Brielense, quod unicum in ea insula est, tentarunt: Excitatoque ad portã australem incendio & ad illud restinguendum, accurrentibus civibus, Borealem portam occupant, oppidoque hunc in modum potiti sunt.

Primarij huius facinoris duces erant, Guilielmus *quem dixi*, comes à Marck; Guilielmus à Bloys, Dominus Treslonius, *dynasta Suetensis:* Lancelotus Bredenrodius, Bartolomeus Entensis, Iacobus Schoonvvallius, Antonius Vtẽhovius, Iacobus Cabeliau, Antonius Reynius, Nicolaus Ruychaverius, Robollius, Iacobus Hennebartius *& alij. Vrbe in potestatem suam redacta, extemplo Capitaneum* Reynium, Nicolaum Rufum, *seu* Rodeclaes *cognomine, unà cum alijs aliquot in Angliam ad novum praesidiariorum supplementum & commeatum aliaque ad belli usum necessaria in tempore obtinenda remittunt. Quod etiam festinato curatum est.*

Briela

Briela capta, Zelādiæ Vlissengenses, apud quos Castellum iam moliebatur Albanus, & inter Hollādos Enchusani confestim similiter Albano nūcium remittunt. Atque ita tres celeberrimi illi portus, & veluti claustra Hollandiæ Zelādiæque, Enchusa, Vlissinga, *&* Brielā, *se animosè exinde Hispano opposuêre. Quorum continuo exemplum cum imitata fuissent Borealis primum Hollandiæ, Enchusanis vicina, oppida,* Horna, Alcmaria, Edanū & Medenblicū: *Australiores se quoque deinde sine mora associarunt.*

Quam vero exinde varia fortuna, cum terrâ tum mari, res sæpissimè gestæ fuerunt, Patriæ annalibus memoratum habetur. Hoc interea, quod ad bellicam, præsertim mari, de quo dicere cæpimus, partam gentis gloriam pertinens omnibusque seculis memorabile existimo, hic præterire consilium non est: Quod nimirum ut illâ navali circa Brielæ oppidum victoriâ occasio data est ceteris, & veluti signum sublatum, adversus Albanum aliquid audendi, ingentesque illas Hispanorum minas in ludibrium vertendi, ità quoque, cum iam quadraginta circiter annos, multis invicem damnis illatis certatum esset, pacem quoque, aut saltem aliquod pacis auspicium, armorum inquam finem ac pausam dedisse, præter cetera, navales similiter expeditiones. Nam Hispanus cum iam plurimis annis summa vi maximisque impendijs terra marique bellum adversus Hollandos

laces-

lacesseret, appellere nihilominus suas ad oras eorum naves commerciorum gratia dissimulanter aliquamdiu permiserat; donec tandem persuasus, si hac illis frequentione interdiceret, se exinde pacatioribus usurum. Quod, inquam, facile persuasus severissimis in eos mandatis, idque repetitis vicibus, detonuit, & aqua atque igni, quod dici solet, non modo iisdem interdicens, sed deprehensos etiam male tractando, maximum accedendi Hispanorum Lusitaniæque littora portusque terrorem universæ genti iniecit. Adeo ut in totum abiurata Hispanica navigatione commerciisque, alio tandem animos appellere ceperint, ipsos nimirum Indos adeundi. Quod ut magno animorum ardore certoque consilio tentatum, ita quoque feliciter adeò cessit, ut adversarius, quem ad incitas redigere & in totum deprimere Hispaniis excludendo satagebat, multo eundem hoc pacto altius provexerit, Orientem nimirum & opes ea parte suas, non sponte, sed numine sic faciente, recludendo. Nec satis hæc erant, sed, ut invia virtuti nulla est via, maiora paulatim & ulteriora Hollandus spirare, & idem quoque in Occidentem & eas ab orbe novo gazas minari mox cæpit; Et eò propemodum novis classibus, certe iam animis ac voto ibatur, cum ecce olivæ ramum prætendens Hispania de componendo tam diuturno bello provincias sollicitat. Nondum convenerant ad petitionem Archiducum Patriæ proceres, ut de pace aut induciis ageretur,

cum

tum emissa est paulo ante, stratego ac duce Iacobo Heemskerkio, triginta maiorum minorumque navium classis, quâ veluti nervos rerum agendarum, id est, thesauros ab Indis etiam occiduis, quantum poterat, intercipere aut præcidere Regi laborabant. Et licet multum pro ea aut retinenda aut revocanda, priusquam adhuc ad pacis colloquium ventum esset, Pater Neius, serenissimorum suorum principum nomine, satageret, tamen ità volentibus fatis, nec satis adhuc negotio intētis Ordinibus, destinata perfecit Heemskerkius. Classemque Hispanicam viginti trium maximarum navium, præter alias negotiatorum, quæ prædæ accesserant, in anchoris ad Gibalterram Tartessiaco in freto stantem, tormentis, militibus omnique apparatu ac munitione formidabilem aggressus pessundedit penitus ac dissipavit. Vt ità, secundum Deū Opt. Max. iure dicamus, quemadmodum gesti feliciter adversus Hispanos belli initium navalis victoria Hollandis fuit, sic etiam finem & pacati eiusdem occasionem navales præcipue apparatus atq; expeditiones exstitisse.

EXCVSATIO.

HÆc addere veteri Batavorum laudi ac navalibus præsertim eorū coronis, veluti in cōtentionem, placuit, ne simul, dum vetera extollimus, recentium ac nostrarummet rerum fuisse incuriosi videremur. Laudavimus scilicet, occa-

sione

sione data, & magis hostium quam nostris verbis, Batavos: Atque inde eundem origine cum parte Gelrorum populum, verso nunc nomine Hollandos esse demonstrandum quàm proximum videbatur; & Hollandos quidem à maiorum virtute nequaquam degeneres, ne quis forte Milesios objiceret, quondam strenuos.

Quod ad alia attinet & universum, quod praecedit, Disceptationum systema, in eo ità stilum temperasse nos existimamus, ut nihil praeter rem, sed ipsam dixisse, & authorum veterum veram mentem, quantum in nobis fuit, exposuisse ac reddidisse studio habuerimus. Sane secutos hoc verò serio asseverare possumus; an fuerimus assecuti aliorum iudicationi permittimus. Ingenuitatem & candorem ubique professi sumus, in laudem, & excusationem, praesertim eorum, qui aliquid, boni publici ergo, vel conati sunt, semper proniores quam vituperium. Nec alio in ipsum adversarium fuisse animo, ipse, eodem candore usus, nostraq; haec legẽdo, agnoscat ac fateatur adversarius. Errores & ignorantiam nusquam exagitavimus, audaciam solummodo & temeritatem detestati. Ecquis enim mortaliũ est, qui non impingat alicubi aut errat? Hanc conditionem aut labem, seu caliginem potius, ex ipsa natura ac mortalitate contraximus. Vt ita inscitiam in homine aut errorem cum insectetur aut calumnitur

vietur homo, quid aliud quam ipsi naturæ, id est, sibimet convitium facit? Quapropter & nobis si quid exciderit, quod accipi sequius, & in partem deteriorem, possit, ignosci postulamus, & veritatis, pro qua certamen hoc suscepimus, impenso studio condonari.

(·:·)



OPE

OPERARUM PAUCULA ALIquot ac levia ERRATA sic restituenda.

Pagina 1. versu 5. *accalis* lege, *accolis*. Pag 19. v. 2. *introduxerit* leg. *introduxerint*. pag. 37. v. 25. *Avenacum* leg. *Arenacum*. Pag. 42. v. 30. *Frisiabones*, *Frisios*, leg. *Frisiab. Sturios*, *Fris*. Pag. 44. v. 12. *esse* leg. *esset* Pag. 52. v. 1. in margine adde, CAP. IX. 16. Pag. 64. v. 6. *aggressu* leg. *aggressos*. Pag. 65. v. 22. *insula* leg. *insulam*. Pag. 75. v. 28. *nostri* leg. *nostris*. Pag. 94. v. 2 *Mela* leg. *Melæ*. pag. 139. v. 16. ad marginem pro 25. rescribe 35. Pag. 140. v. 11. *deducturum* leg. *deducturus*. Pag. 143. ad marginem pro 26. rescribito 36. Pag. 153 v. 1. *Antonio* leg. *Antonino*, Pag. 168. v. 21 *commeratur* leg *commemoratur*. Pag. 178. *meritus* leg. *merens* Pag 185. *quia* leg. *qui*. Pag. 190. *ἰππεῦς* leg. *ἱππεῦς*, Pag. 205. v. 27. in margine adde Disceptationis numerum 48. Pag. 208. *excessu aliaque opera* leg. *excessus cura aliaque opera*.

NUMERI QUARUNDAM PAGELlarum ità restituendi.

Post paginam 55. pro 58. repone 50. pro 59. repone 57. Deinde post paginam 59. pro 62. repone 60. pro 63. repone 61. pro 66. repone 64. Post paginam 207. pro 108. repone 208.

Hæc obiter observata sunt. si quæ alia & plura eius generis sint, ea æquitati lectoris emendanda permittimus.

COR-

IOHANNIS ISACI PONTANI

DISCEPTATIONUM CHOROGRAPHICARUM

Adversus

PHIL. CLUVERUM

Nova Sylloge:

Complectens necessariam confutationem eorum quæ Antiquæ Germaniæ, responsionis quasi vice ad priores Disceptationes, idem Cluverus *passim inspersit.*



HARDERVICI, *Typis Thomæ Henrici,*

Impensis HENRICI LAURENTII Bibliopolæ Amsterodamensis, *Anno* 1617.




Clarissimis ac præstantiss. viris

D. D. D.

FREDERICO SANDIO, HVGONI GROTIO, ET PETRO SCRIVERIO

I. ISACIVS PONTANVS

S. D.



ABETIS ecce, viri clarissimi, Disceptationum nostrarum partem alterã, quâ necessariam eorum, quæ operi suo de Germania, responsionis quasi vice ad priores nostras Disceptationes, interspersit Philippus Cluverus, confutationem sumus complexi: Necessariam nimirum non tam aspectu ipsarum Cluveri responsionum, quam modi & generis, quo respondet. Nam si justa lance rem spectemus, quid quæso, quod ad ipsam causam faciat, momenti magnopere adducit? Passim aut declinat, aut cludit aut mutat quæstionis statum; Sæpenumero & crypsibus, calumnijs aut falsiloquiis ita agit, ut non quæ diximus, sed quæ in mentem nun-

quam venerunt, nobis affingat. Atq; eo pacto dum imponere ignaris studet, nunquam fere Disceptationis, quam intelligendam vult, aut notam aut numerum apponit, ne collatione fortassis instituta, fucus & futilitas responsionum lectori appareat. Dubitabam sane initio an digna hæc essent, quibus serij aliquid reponeretur. nam contentionis hic funem ducere, & certare convitijs cum conviciatore, nostrum non erat. Revocavit tamen & ad respondendum perpulit, cum præter alia & amicorum hortamina, tum præcipue auctorum optimorum salus, quos, dū ille penè omnem prioris Commentarij & errorum cramben vasto illo opere recoquit, sub cultro jam positos & occidione occidendos cernebamus, nisi tempori & intrepide succurreretur. Non Gothi non Alani Vandalique & illa quondam gentium confluges tantam bonis auctoribus ac literis cladem intulerint, quantam minitantur ejusmodi sui sensus & cerebri, Momares antiquis appellati, curvis mentibus & prave facundi. Medelam scilicet affectis scriptorum locis promittunt, sed vitium reipsa & labes infligitur. Cæsar, Strabo, Plinius, Tacitus aliique utriusq; linguæ auctores abunde dicent, sive ad interpretationes sive ad emendationes

tiones libebit respicere. Quid etiam ad Cæsaris eum locū qui, ex sexto belli Gallici, lib. 1 cap. 16 Germaniæ Antiq. Cluvero exponitur, respōsuri Germani sint, expecto intelligere. Nam ibi antiquos olim Theutoniæ populos pecorum ritu in propatulo coivisse persvasum omnibus vult, unum scilicet illum, quē dixi, Cæsaris locum ad hunc sensum violēter detorquens; Cum eo loci Cæsar id maxime spectet ut demonstretur apud Germanos quondam qui impuberes, seu ut Græcus interpres reddidit, * ἄγαμοι diutissime permanerent, præcipuam laudem tulisse; despectos e contrario, quibus juventa & nuptiæ festinarentur: hancque, ut illi vocabant, turpitudinem ac dedecus occultari non potuisse quia promiscue impuberes cum puberibus, juvenes cum maritis, parentes cum liberis in fluminibus ac balneis lavabantur, contra nimirum receptum adhuc Cæsaris ævo Romanorū morem, de quo 1 officiorum Cicero, *Nostro*, inquiens, *more cum parentibus puberes filij, cum soceris generi non lavabantur*: Quam tamen postea consvetudinem etiam apud Romanos mutasse ex Valerio liquet, qui lib. 2 cap. 1 hæc habet: *aliquandiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur*. Et hoc spectasse præcipue Cæsarem ipsa

* *Cælibes et qui uxorē non duxerunt.*

Cæsaris verba, quæ sunt libro jam dicto de Germania, ista scilicet, satis indicabūt; *Qui diutissime impuberes permanserunt maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires nervosque confirmari putant: intra annum vero XX fœminæ notitiam habuisse in turpissimis habent rebus. Cujus rei nulla est occultatio, quia & promiscue in fluminibus perluuntur & pellibus aut parvis renonum tegumentis utuntur magna corporis parte nuda.* Vbi *ejus rei nulla est occultatio* referri ad præcedens debet, scilicet nullam esse occultationē eorum, qui intra xx annum fœminæ notitiam habuêre, id est, qui jam mariti nec impuberes seu ἄγαμοι amplius cēsentur. *Habuisse* enim diserte dicit, non *habere*, quòd istæc interpretatio sequior requirat. Tacitus eadem Cæsaris in mentem habens, ita reddidit: *Sera juvenum venus eoq; inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur. eadem juventa, similis proceritas. pares validique miscentur. Ac robora parentum liberi referunt.* Mela eodē respiciens satis habuit dixisse, *longissimā apud Germanos pueritiam esse.* Illud autem Cæsaris *impuberes*, ab interprete Græco ἀγάμους, ut indicatum, accurate reditum est. Glossario etiam Philoxeni *impuber* & *improlis* ἄνηβος indifferenter exponitur. Absit itaque & amoveatur tā fœda tamq; sinistra in pudicissimam ac laudatissi-

Libro de Germ.

tissimã Germaniæ gentem vel cogitatio; quæ & homine hominẽ exuit. Tacitum jam indicatum potius audiamus, cõmemorantem eodem de veteri Germania libro, præter iam dicta, conjuges *illic septa pudicitia egisse, nullis spectaculorum illecebris aut conviviorum irritationibus corruptas, nullamque morum partem magis laudatam*, quàm istam matrimonij & nuptiarum. Quæ aliaq; apud eundem aliosq; huc spectantia, locum omnino non habeant, si cõmentum tam pudendum admittitur. Quin & inspicienda præter hæc, quæ ad Cæsaris eadem verba notavit jam pridem Hieronymus Mercurialis lib. 6 cap. 23 Var. Lection. Et Schottus Observationum lib. 2 cap. 12 sub finem. Tuus quoq;, clarissime Groti, quis hic sensus & sententia sit, à nobis aliquando huc invitatus inseruisti, præter alia, ei epistolæ quam Originibus nuper Francicis, occasione & re id exigente, intertexuimus. Adeo ut nemo sive veterum sive recentiorum, qui ad Cæsaris hunc locum propius expendendum manum mentemq; verterunt, tam unquam inhonesta vel suspicatus sit. Sed in illam exspatiari Germaniam ibiq; inflictas auctoribus vibices demonstrare longior labos sit, nec hujus instituti. Aliàs fortasse & commodius id fiet, ubi pro ijsdem Lib. 6 cap. 11.

vindicias & præsertim pro TACITO apologeticum, affectum jã pridẽ, sed qui ultimã adhuc manum desiderat, meliore otio emoliemur. Quãquã & superiores Disc. & nunc quoq; Responsionum hæc Sylloge, quod ad dictos auctores & maxime Corn. Tacit. abunde demonstrare poterunt, quã sæpenumero rescribantur atque explicẽtur ex supervacuo auctores, ubi non tam quid velint illi, quam quod fingit sibi quisque, in consilium adhibetur. Exemplo, præter cetera, esto quod ait Cluverus basin & fundamentum, quo nostræ superstruuntur Disceptationes, esse tertium Rheni alveum, utpote qui eum imperij Romani limitem & Galliam inter Germaniamq; terminum statuamus; idq; corruere & prostratum jacere, si, quod ipse vult, non tertius, sed medius id alveus obtineat. Quod ut non omnino abnuimus, ita demonstrationem poscimus. At jam cum constet, nec negare Cluverus potest, ut suis est locis indicatum, Melã, Pliniũ, Ptolemæum hoc de tertio & extimo Rheni alveo seu Flevo consentienter singulos asseverare; quid hic Cluverus? obnititur nihilominus, & ut semel conceptum mente medium Rhenum tueatur, Tacitum huc trahere aut obtendere saltem allaborat: sed nullibi se magis facetum

ostendit.

ostendit. Nã cum ex eo superioribus Disceptationibus Disc. 17 quæreremus, qua fronte plus sibi fidei quã Plinio & Ptolemæo, classicis auctoribus, quiq; Galliæ & imperij terminũ circa Rheni tertiũ ostiũ Flevum diserte definierunt Tacito quoq; idẽ dicente, haberi postularet? respondere tamen non sine supercilio exinde ausus est lib. 2 Antiq. Germ. cap. 34, *Fronte Taciti & aliorum auctorum eosque se ad ruborẽ meum allaturum sequenti capite* adijciens. Nos eo & animum & oculos continuo conijcentes, quid? nisi panegyricorum unum aut plures in genere de Rheno loquentes nihilque ad hanc causam momenti cõferentes, Tacitum verò, de quo quærebatur, ubique tacentem deprehendimus, quemadmodum ad idem Cap. 34 prolixe inferius unica Responsione mõstramus. Nec illud modo, sed quod in Disceptationibus obiter & intento digito cœperamus, ibidem absolvimus palã. que fecimus cum Plinio & illis auctoribus facere quoque ac idem omnino dicere, quem indicavimus, Tacitum; Cum ea, quæ fuerunt circa Flevum Romanorum *hiberna* & *castella* historiarum quarto & Annalium quarto nominata, ibidẽ EXTREMA esse IMPERII disertis verbis pronunciarit: Eumque insignem Taciti locum

cum alto ubique ſilentio, licet diligenter adeo nobis indicatum, tranſmittat ac diſſimulet etiamnũ Cluverus, facile liquere poteſt medium ejus alveum hic locum non habere; fundamentum vero, quo noſtra ſuperſtruuntur, tantis præſertim auctoribus ſuffultum, immotè ac firmum conſiſtere. Verum hæc aliaque ex ipſis reſponſionibus luculentius intelligenda. in quibus præter alia hoc operam dedimus, ut verba adverſarij & quidquid in nos noſtraq; conatus eſt, fide bona, nec, quod iſti ſolent, carptim & fruſtulatim, ſed in totum & omnia lectori ob oculos ponerentur: quo & contendi hoc pacto ac comparari ſingula cum ſubjecta Reſponſione noſtra accuratius propiuſque poſſent. Nã dum ille odio veritatis, ne & ipſe & ea deprehendatur, ſepiæ in morem ſe involuit atque abſcondit, nos atramẽto ejus lympham adijciendo, hoc agendũ putavimus, ut nubilis diſpulſis, lux ſua rebus accedat. Quod vero jã annũ, & quod excurrit, poſt antiquæ iſtius Germaniæ editionẽ ad reſpõdendum prodeamus, nõ noſtra ſed librarij mora & impedimentis factum amici dicent; & præter alios elegantis & candidi ingenij Erneſtus noſter Brinckius, perhibere teſtimonium αὐτόπτης poteſt circiter nimirum Calend. De-

cemb.

cemb. anni CIↃ. IↃCXV, id est, altero statim à publicatione dicti operis mense, dum & alijs & ordinariis distinemur laboribus, absoluta hæc nobis concinnataq; fuisse. Quod tamen nec ideo, ut de me ipso dicã, memoratũ velim, sed ut occasio Cluvero desit objiciendi quod in Disceptationum superiorum editionẽ tardiorẽ *fecit; quasi videlicet ad ipsum refutandum tempore & anno aliquo Metonis opus esset. * Vide infra pag. 99

Hæc autem quibus potius, quam vobis & in vestram tutelam, viri præstantissimi, dicare ac mittere deberemus? Tua enim, clarissime Sandi, in evoluendis, quos hic imus defensum, auctoribus nota nobis alacritas, nec non explorata ingenij acrimonia. Et licet præcipue tibi Tacitum selegeris, ut ex eo, veluti penu prudentiæ, in tuum & publicum usum, illa regum & rerum publicarũ κρύφια, vel, ut ipse auctor appellat, *arcana imperij* decerpas; tamen ad ea quoq;, quæ idem ut certus testis & Galliæ Belgicæ rationes procurãs, de situ nostrarũ regionum deq; fluminũ flexu suis Annalibus atq; historiis apposite atq; amæne intexit, haud illibẽter soles diverti. Te similiter quod attinet, Groti humanissime, quis idoneus magis ad hanc causam advocatus? Tu illustri tuo nomine & præclara doctrina labantẽ literarum statum

erigere cū paucis hodie ac sustinere posses, nisi te sibi publica vindicasset. Nec tamen ita possideri te finis, quin ingenii tui fœtus per ora subinde doctorum volitare permittas. Et, quod nostrum præcipue institutum spectat, illum tuum, qui est de hodierna & veteri Batavorum republica commentarium si aliquando ad incudem revocare otia concedent, tum quæ adhuc quærimus nos & disputamus, te docente, discemus. Cœperat iam olim sed diverso nonnihil filo hanc quoque detexere telā doctissimus ille Hadrianus Iunius, nisi fata Deusq; hoc stamē interrupissent. Vnde nunc pendet opus minæque murorum: Tu, Scriveri eruditiss. succedes & recognitâ eius, de qua loquimur, Bataviâ huic Herculi manum porriges ac succollabis & quod diu promissum, novis observationibus illustrabis, supplebis rectaque monentem iuvabis ac diriges aberrantem. Nam & excidisse nonnulla maximo huic semoni & δευτέραις φροντίσι opus esse iā diu est quod monemus ac querimur. Sed ne longum fiat, haud ulterius expectationē vestram morabor. Togas itaq; cōponite; & quod uterq; dicturi sumus ad aures vestras atque animos admittite; atq; ita, viri clariss. ac præstantiss. feliciter longumq; valete ac vivite. *Dat. Hard. 20 K. Mart. 1617.*

LECT-

LECTORI.

Lector benevole, hoc obiter monendum habeo, pagina 22 vers. 2 indicari locum & initium tantum verborum Caesaris, qua cum integre citata ac descripta sint in ipsa Ger. Antiq. lib. 2, hic nescio quo casu aut incuria omissa sunt. Ita autem habent: Mosa profluit ex mōte Vosego, qui est in finibus Lingonū & parte quadā Rheni recepta, quæ appellatur Vahalis, insulā efficit Batavorum. neq; lōgius ab eo millibus LXXX passuum in Oceanū transit. Rhenus autem oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Ætuatium, Helveriorum, Sequanorum, Mediomatricū, Tribociorum, Trevirorū citatus fertur, & ubi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisq; nationibus incolitur; ex quibus sunt qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque capitibus in Oceanum influit. *Qua verba eum in modum plenè expressa Disceptationi quarta & ei praesertim, quam verbis Cluveri pag. 23 subjecimus, Responsioni haud parum lucis & adjumenti fuerabunt. Nam cum Asinius apud Strabonē post Caesarem duos tantum alveos & ostia Rheni admittat, Caesar vero loco jā expresso primo cū Mosa*

Belli Gal. lib. 4.

in

in Oceanum ab occidente eum deducat; atque inde à parte altera, versus Boream, ubi Oceano appropinquat, in plures partes diffluere multasque insulas efficere, ac tum demum multis capitibus in Oceanum effluere memoret, facile colligere sit certos & legitimos alveos spectasse Asinium, Cæsarem autem elices quoque & lacus aliaque ejusmodi à parte illa Boreali, in mentem habuisse. Est autem hic ille Asinius, quem Svetonius * *in Cæsare* Asinium Pollionem *nominat, addens, quod & Strabo lib. 4 monet, reprehensum ab eo Cæsarem. Cluverus vero (ut præter institutum hoc addam, ne pagellæ hic vacent) Svetoniani istius nusquam meminens certo asseverat eundem esse cum eo, cujus* * *Agathias mentionem facit,* Quadrati *cognomine. Cluveri verba post citatum Agathiam ita habent lib. 3 Antiq. Germ. cap. 4:* Asinius iste Quadratus nullus alius fuit, quã quem Rhenum & bina eius ostia, (haud dubie in rebus Germanicis) ante se descripsisse testatur Strabo lib. 4. *Verba autem ipsa Agathiæ hæc sunt:* Alemanni (si Asinium Quadratum sequi licet, hominem Italum & qui res Germanicas accurate cõscripsit) convenæ sunt & miscellanei homines, quod & appellatio eorum linguâ indicat. *Hinc Cluverus concludit multisque pertendit, Alemannos & Alemannorum vocabulum esse antiquissimum & ante Geographica Strabonis, ut pote*

* Cap. 30 & 56.

* Lib. 1 de Rebus Iustiniani.

Asinium

Asinium nominantis, celebratum. At interrogare Cluverum libet, posito Asinium *hunc esse Agathiæ* Quadratum, *cur jam diligentissimus Strabo eum scilicet tam accurate citans, Alemannos & eorum vocabulū, sicuti fecit Agathias, apud eundem non legit? aut si legit cur suis cōmẽtarijs tam notabilem gentem non inseruit? Deinde cum dicat Agathias* accurate res Germanicas *tradidisse, quomodo id tempori quod præcedit Strabonis Geographica illiq; ætati quadrabit, quâ tum adhuc limite tantū Germania patebat? Et postremo cum* Asinium *simpliciter appellat Strabo, unde monstrabit Cluverus Agathiæ* Quadratū *esse, & non* Pollionē Asiniū *de quo, ut diximus, idē quod de Asinio Strabo, referet Svetonius? Sane Casaubonus in Animadversionibus ad Strabonē Pollionem agnoscit, Suidæ etiam laudatum. Et ut hæc aliaq; considerasse Cluverum oportuit, ita quoq; quod Stephanus ethnographus multoties* Asinij *istius* Quadrati *meminerit atq; ea scripsisse memoret, quæ ab ævo istius Straboniani Asinij* δὶς διὰ πασῶν *dissentiunt. Quid multis? Quadratus iste Agathiæ tantum abest ut ille Strabonianus Asinius sit, ut etiam filius ejus esse vix potuerit, utpote qui floruit post Antoninum Pium, quem senem obijsse & mortem habuisse dulcissimam scriptum reliquit, attestante Dionis Xiphilino. Meminit quoque ejusdem & Zosimus. Adeo ut colligi ex his omnibus possit, quid de Cluveri Alemannis & ceteris, quæ dicto*

Capite,

Capite, operose proponit, sentiendum habeamus. Sed hæc ad alias, non istas Disceptationes referẽda. Tamen vacantibus, ut dictum, pagellis, tũ & nomen ac mentio Asinij cum semel iterumque etiam in hac Responsionum Sylloge occurrat, haud abs re commonendum hac occasione existimavi. Nunc ergo ad rem & in ipsam, quod dicitur, arenam veniamus.

ERRATA.

Pag. 31 lege *eoque*. pag. 32 leg. *ingenij*. pag. 34 vers. 9. leg. *quantos*. pag. 78 leg. *extimo*. pag. 80 leg. v. 7. R*heni*. pag. 82 leg. *Frisium nomen*. pag. 88. v. 8 & v. 23 leg. *Grbinnes*. Ibid. vers. 9 leg. *litera ę*. pag. 116 leg. *effusus*. pag. 117 leg. *immerentem*. pag. 127 leg. *praturaque*. pag. 128 leg. *destituuntur*.



EX

LIBRO SECVNDO GERMANIÆ ANTIQVÆ.

DE

TREVERIS.

CLVVERVS.



Vcjam adsit versutus ille Philosophus (seu medicum se dici malit) qui disceptationes chorographicas contra commentarium meum de Rheni ostijs nuper edidit. Iudicium & religionem hominis, nullam literulam in antiquis auctorum exemplaribus immutandam existimantis, mirabor sane & laudabo, si omnia ista disertissima tot auctorum documenta ad Mosæ Rhenique confluentem pertrahere quiverit. Verum de hoc Chorographo commodior in Batavis erit locus dicere. Cap. 14. pag. 35.

RESPONSIO.

De dicterijs, ut & convitijs in me, ubicunque occurrent, gratiam tibi faciam Cluvere, animi tui impotētiæ hæc tribuens. De re videamus. Ais, existimare me nullam literulam in antiquis

tiquis

tiquis authorum exemplaribus immutãdam. *Vbi hoc ego? locum & verba adijcere debuisses. Nã sane ità si sit, cur non mihimet me opponis? qui sæpenumero, re & ratione id evidenter flagitantibus, varia variorum authorum loca & restituenda, aliterque, quàm vulgo habentur, accipienda vel ex ingenio vel libris, sed his præcipue, demonstrare conatus fui. Vides ergo reticeri à te, quod additum oportuit, nec temere nec ab omnibus hoc debere fieri me ceterosq;, qui literarum incolumitatem amamus, existimare. Temeritas est, audacia & calor, quem detestamur, & in te non semel culpamus. Inauspicatorum scilicet ista Criticorum sunt, de quibus egregius nostri seculi vir hoc vulgo usurpare suetus:*

Sunt multæ quidem aves sub clari lumine Solis
Non tamen auspicijs aptæ omnes.

At contra legitimi & auspicales censores, sunt, ut idem ille solitus addere, Sol & sal literarũ. *Hoc primum. Deinde quod ais de* disertissimis auctorum documentis; *ea nusquam eo loco reperio, quibus vel leviter demonstratur, quod tu vis. Hoc enim demonstrandum erat, illis Cæsaris verbis l. 4 de Bello Gall*: Germani *&c.* se ex castris eiecerunt & cum ad Confluentem Mosæ & Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen præcipitarunt, *demonstrandum, inquam, tibi erat, legendum ibi non,* ad confluentem Mosæ & Rheni, *sed*, ad

ad confluentem Mosellæ & Rheni, *quod nos negavimus,* *ostendimusque non tantum pugnare ejusmodi correctionis facinus cū omnibus Cæsareorum Commentariorum editionibus, sed etiam cum manuscriptis omnibus exemplaribus; quin & pugnare quoque cum ipsis verbis Cæsaris cum præcedentibus tum consequentibus, & denique cum historia ac rei gesta veritate. Quæ omnia cum ad cap. 5 Commentarij tui Disceptat. 9 à nobis & fuse & firmis argumentis commonstrata sint, quorum à te ne unum quidem, hoc loco ubi oportuit, non dico cōvulsum, sed ne tentatum quidem est, eodem & te lectoremq́; remittimus. Nam quod ad Flori locum attinet, quem quasi ad ulcus hoc sanandū interseris*, facile cuivis rē accuratius inspicienti apparebit eū aliûs esse rei, & ad hoc de quo agitur, quomodocunq́; etiā accipiatur, nihil pertinere. Quàm ergo te suaviter ridendū doctis propines, agnoscere hinc potes, dum adeò tragicè & ampullosè, solis verborum inanijs suffultus, nos hoc loco provocas.*

* Disceptat. 9. pag. 27.

* Ibid. Antiq. Ger. v. 10.

DE MENAPIIS.

CLVVERVS.

NOtaveram in Cōmentario de Rheni ostiis supra dictum Chorographum, qui in Antiquitatibus suis Amsterodamensibus urbem Amsterodamum ex hoc Strabonis loco in Menapiis statuerat. Illa tamen geminum hunc errorem, Strabonis simul atque suum, defendere in Disceptationibus Chorographicis audacter

Cap. 16. pag. 75.

atque strenue perrexit. Maximum eius argumentum est in distinctione temporum: quibus forte gentium migrationes factæ inter Cæsaris ac Plinij Tacitique ætates. Haud absurdè mehercules. Modo auctoris alicujus si non disertum testimonium, verba tamen quædam attulisset, quæ conjectura quadam levissima eo trahi possent. Tacitus Histor. lib. 4 & item in libro de Germania, disertissimis quæ suo loco inspiciemus, testatur verbis, Batavos ex Cattis advenientes, insulam Rheni & extrema Gallicæ oræ, quæ erat inter Rhenum & Mosam occupasse. Quod ante Cæsaris ætatem factum cōstat. Quæro igitur quomodo Menapiorum fines, qui Mosa flumine à Batavis disterminabātur, tam longo intervallo, post Batavos, trans Rhenū resurrexerint? Nempe â divortio Rheni, respondet Chorographus, Velaviam eos tenuisse & Goiolandiam & Amsterdamensem agrum, ad oceanum usque & Rheni ostium: uti hoc pacto veluti in sinu concluserint agros Batavorum. Sed ignorat ille, Velaviam fuisse tunc temporis Marsorum; quorum pars Augusto Imperante, à Rheno in interiora profugerunt; pars Drusi fossa in dicta Velaviæ inclusi, Marsaci dicti sunt: quod suo loco ostendam. At jā ipse Chorographus, in Disceptationibus suis ex mea sententia, quam in dicto Commentario de Rheni alveis ostijsque adserui, Marsacis Velaviam concessit. Itaque quum * jam ipse videret, agrum Menapiis in Goiolandia, aut circa Amsterodamum, & medium Rheni alveum ostiumque dari nullum posse, haud dubitavit, in ijsdem Disceptationibus suis eos inde statim

Impertinens.

redu-

reducere ad citimum alveum, qui Vahales vocatur, ac Mosæ immeso ore in Oceanum effunditur. Satisque novam hanc suam sententiam se firmaturum putavit hisce Cæsaris verbis ex Comment. 6 adductis: *Cæsar T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum versus in eas partes quæ Menapios attingunt, proficisci jubet*. Vbi jam bis iterum ab eo satis longe aberratum. Primo quia nullum hinc necessarium argumentum de Vahale seu Mosæ ostio: quum Menapii etiam apud Scaldim insulis illis fuerint contermini: à quo tamen flumine satis longe Rheni ostia absunt. Deinde non meminit Tacitum, ut ante dictum, non modo utramque Vahalis, sed Mosæ etiam dextram ripam unis Batavis tribuere. Sed ubi hoc quoque parum firmum esse videt, factas esse inter Strabonis Tacitique ætates migrationes gentium, credere nos sine ullo documento postulat. At Tacitus non suo demum ævo Batavos ait, Rheni insulam & oram Gallicæ ripæ tenuisse, sed jã ab initio occupasse. Heic igitur iam iterum erratum. Verum qui omnes Strabonis circa has oras errores defendere ac tueri studuit, &c.

* Impertinens.

Impertinens.

RESPONSIO.

Quod de Antiquitatibus Amstelodamensibus ironicè & sarcastice hic ingeris Socratico more sinam præterfluere, hoc tantum, quia id flagitare videris, adijciens aut repetens potius, Cæsaris nimirum & strabonis non obscuris testimonijs constare eorum Menapiorum, qui ad Rhenũ ulteriores consederunt, secessionem tandem fa-

Cæsar lib. 4. Bel. Gal. Strab. lib 4

ctam. Nominant enim illi & agnoscunt Menapios cis ultraque Rhenum, & Strabo præsertim, propius quasi explicans Cæsarem, ad utraq; Rheni ostia eos collocat juxtaque illos coluisse Sicâbros Germanos: *at postea, qui hos consecuti authores, nullos ibi sed à Menapijs plane alios producunt. Quo quid dici aut scribi evidentius potuit? Sed errasse eos ais. Errasse & errare potuisse concedam forte haud ægre, utpote homines, at hic errasse viros huic rei & uni curæ intentos deque seculi sui rebus loquentes, quomodo tu hodie persuadeas? Errore, inquies, simili & alio ejusdem Strabonis qui Cantium, Britanniæ promontorium, ab Ostijs Rheni potuisse conspici præter rem omnem asseruerit. Ergo & illud quia eò ducis, videamus: Ita enim porro ais:*

CLVVERVS.

Ibidem. VErum qui omnes Strabonis circa has oras errores defendere & tueri studuit, id nos docuisset vellem, qua ratione & qua arte à Rheni ostiis Cantium Britanniæ promontorium conspiciatur; quod & ipsum tradit eodem loco Strabo. Qui equidem error inde ei natus, quod Menapios Morinis conterminos esse cô-perierat: Menapios ad Rhenum usque pertinere, Morinos ad fretum Gallicum: à quibus in Britanniam navigaturi solvebant: utrorumque fines adeo coarctavit, uti crediderit à Rheni Ostiis & Menapijs Britanniam prospici. Verba ejus libro quarto hæc sunt: *Obiacet Britannia ... haud longo intervallo: ita uti etiam Cantium*

promon-

promontorium conspici possit. At qui à Rheni partibus trajiciunt, non ab ipsis solvunt amnis Ostijs: sed à Morinis Menapiorum conterminis, apud quos Itium est, quo divus Cæsar usus est navali in insulam transmittens. En quid heic tibi superstitiose auctorum venerator, mentis est: Errasse videtur Strabo nec ne? Gantium prospicere tu queas ab Rheni Ostiis? an non hæc tam longe Itio portu, qui nunc Bononiensis est, dissita sunt, uti qui illic consistunt, circa Rheni Ostia versari dici nequeant. I nunc & errores auctorum variis tuis erroribus tueri, vel, quod facis, omnnes ludere perge. Circa omnia, cum te ubiq; torqueas, nunquam tamen, vel raro admodum certi aliquid concludis, sed sæpius excusatiunculis uteris, quod disputantem Philosophum minime decebat. Francorum origines cum editurias, spero te Sigambros ex eiusdem Strabonis sententia ad Oceanum collocaturũ. Ab Itio promontorio, quod in Morinis erat, prospici Cantium promontorium, acceperat Strabo: Morinos item conterminos esse Menapiis, & hos Rheno: unde ille per errorem postea putavit, à Rheno Britanniam conspici. Qui error in alios etiam manavit auctores. Vnde illud Orosii lib. 7 cap. 5 de Caligula: *Magno & incredibili apparatu profectus quærere hostem viribus otiosis Germaniam Galliamque percurrens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ restitit.* Circa Rheni medium Ostium eum restitisse, patet è Svetonio, &c.

RESPONSIO.

Hic ante omnia, ut fucus & crypsis tua in apertum protrahatur, notandum duos te diversos &

inter se separatos Strabonis locos in unum conclusisse, nullo ejus facto indicio. Nec hoc tantum, sed & priori loco, quod maxime ad rem pertinebat, omisisse atq; occultasse. Ita enim prior locus, de Belgis agens, integer & cujusmodi apud ipsum Strabonem legitur, habet lib. 4: Vterque & Sequana & Rhenus à meridie versus Septẽtrionem fluit & est eorum ostijs objecta Britannia, Rheno vicinior, ita ut Cantium, quod est Orientale insulæ promõtorium, apud ostia ejus cerni possit. *Alter eodem habetur libro, ubi de Britannia hunc in modum:* Quatuor sunt usitati è continente in insulam trajectus, nimirum ab ostijs fluminum, Rheni, Sequanæ, Ligeris & Garumnæ. Qui à Rheni partibus traijciunt, ij non ex ipsis solvunt ostijs, sed à Morinis Menapiorum cõterminis; apud quos est etiam Itium, quo navali usus est divus Cæsar in eam transmittens insulã. *Hæc gravissimus author Strabo. quæ sane talia sunt, quæ hunc in modum integre citata per se satis eludãt ac refutent futiles illas tuas accusationes suspicionesq;. Deinde & priori loco facile jam liquere potest, non sine studio omissum a te; quod minime oportuit,* Cantium, quod est Orientale insulæ promontorium. *Nam hoc posito, Cantium scilicet qua est Orientale insulæ promontorium, quomodo id apud Itium aut Boboniæ portum, qui à Meridie insulæ objicitur,*

conspici

conspici possit? Duplex enim esse Cantij promontorium, Meridionale *&* Orientale, *docere te Ptolomeus poterat. Quod ergo accurate addiderat Strabo, omissum inter alia tibi vocabulum nimirum* Orientale, *simpliciter dicenti* promontorium, *ne fraus & fucus cautioribus continuo obolesceret. En pectus ingenuum & veri studiosum! Quod autem ad ipsa Strabonis verba priori loco citata, de Britanniæ è Rheni Ostijs prospectu, de ijs quid censeamus in Disceptationum Chorographicarum parte priori & Originibus quoq. Francicis lib. 1 suo loco & per occasionem discussum memini. Quas Origines quod editurire nos salse dicis, scito eas sexennium & quod excurrit, non affectas modò, sed absolutas confectasque intra scrinia delituisse. Nec etiã num easdem editurivisse magnopere maluisseq. in nonum, ut inquit ille, aut nonagesimum potius pressisse annum, nisi affectibus & amicorum flagitationibus dandum fuisset aliquid. Tua an illã, quæ hic spectatur, moram & maturitatem adepta sint, existimo cum ex tuis, tum ex illis, quæ & hic & alibi à nobis discussa sunt, eruditos & harum rerum gnaros atque æquos arbitros, nunc & pridem jam abunde percepisse. Sane vel ob hanc, quam modò indicavimus, latam in Strabonem culpam te è suo sacrario furcillis præcipitem meritò eijciant Straboniana & Geographicæ Musæ.*

DE TOXANDRIS.

CLVVERVS.

Cap. 29. pag. 132. OBstrepit hic sæpe supra dictus Chorographus, adversarius noster, his verbis: *Sane ijs ex Cæsaris verbis intelligi videntur insulæ, quæ modo ob æstum & maris recessum supra aquas exstarent; modo ob eiusdem æstus accessum infra undas contectæ laterent: cuiusmodi loca à populis non incoli: sed ad breve tantum tempus effugia incolentibus præbere possunt. Quin & priori testimonio tantum abest, ut ullam Cæsar mentionem faciat gentium, quæ ijs in insulis essent, ut ne Menapiorum quidem ditionem ipsam, sed partes tantum, quæ Menapios attingerent, à Labieno adstas innuat.* Ecquid tu credis, mî homo Zelandicas insulas Cæsaris temporibus maris accessibus totas fuisse opertas. An verò alias tibi fingis insulas oceano nunc plane absorptas? Neutrum temere adnueris. Nam hoc ex Batavorum insulæ longitudine, quam eandem *fere*, ut olim fuit, etiam nunc manere infra patebit, falsum esse convincitur: illud ne puer incola crediderit, cui notum, plus invectum indies fuisse hactenus oceanum, quàm avectum. Labienum ipsas insulas Zelandicas non ingressum, si ita vis, concedam tibi; At quid inde? An insulæ igitur fuere sine incolis? Non sequitur. Si ab incolis habitatæ: quæro à quibus? an non ab ijs, quos hic Cæsar Oceano facit proximos, in insulas sese occultātes? Omnino sic arbitror.
ubi? Nā alienos facit à Menapiis: & ubi Morinos intelligit, hoc nomine eos indicare ubique solet. Quomodo autem sese homines in illis tuis in-

ſulis occultare potuerunt,ſi ipſæ inſulæ vix IV vel V horis ſupra undas exſtiterunt? Egregium miſeris ſuffugij ſolamen ,quos poſt [illegible] horarum ſpatium Labienus in littore cum legionibus operiens, undis interire viſurus,aut egredientes armis ſuis trucidaturus erat.

RESPONSIO.

Quæris primo an ego credam,Zelandicas inſulas Cæſaris temporibus maris acceſſibus totas fuiſſe opertas; an verò alias mihi fingam nunc oceano abſorptas: poſterius non admiſſurum putas,quia Batavicæ inſulæ longitudine (quam, ut olim fere *fuit, etiamnum manere contendis) id falſum eſſe convinceres: Prius putas nec puerum incolam crediturum,cui notum , plus invectum indies fuiſſe hactenus Oceanum, quam avectum. Quo ultimo,fateor me non ſatis capere quid velis per* invectum *&* avectum Oceanum*: Si enim , quod exiſtimo , patentiorem multo ac ſpatioſiorem factum vis dicere, ſane & unà fateri debuiſſes multum ſoli & terrarum cum Oceano ablatum :at hoc exemplo Batavicæ inſulæ inficiaris: Ne itaque pugnantia inferre videaris, occultare te ſtudes per* avectum *&* invectum Oceanum. *Sed fruſtra omnino es, nam & hic Cretice pelluces. Dicimus ergo , quemadmodum nemo jure aſſerat omnes illo tractu inſulas maris acceſſibus olim opertas, præſertim quia quædam hodieq; adhuc arenaceos ſuos adverſus Oceanum à natura factos colles ſervant; Ita viciſſim quaſ-*

dam

dam, quod & hodieque videmus, modo ex undis exstitisse, modo latuisse & quasdam quoque in totum ut [illegible]ium oppida aliaque eluvionibus maris periisse: Quomodo & de Batavorum littore & vicis Oceano objectis aliisq; interioribus nonnullis Discept at. 8 & aliis, adversus te luculenter demonstravimus. Quibus à te responsum nondum memini. Sed de hoc alibi.

Quæris deinde, an insulæ Zelandicæ fuerint sine incolis, respōdeo, insulas, de quibus loco dicto, hoc est, 6 de bello Gallico Cæsar loquitur, & de quibus proprie hîc quæritur, ejusmodi videri fuisse, tamē, ut regressibus suis seu, ut statim addemus, tribunalibus haud penitus caruerint. Quæ autē habitatæ fuerunt, eas in Toxandri, ut vis, habitarint, responsum à nobis jam est Discept. 3. Menapiis scilicet magis quam Toxandris Plinianis verba Cæsaris competere: cum præse[illegible]im Menapiorum pars ipsum illud occiduum Rheni ostium adusq; Oceanum, testibus ipso Cæsare ac Strabone, accoluerint; Toxandri autem, ut ex Plinio patet, Schaldi propiores fuerint, nec Oceani & insularū, nisi ex conjectura incolæ. Nā quod putas ab iis, quos Cæsar Oceano facit proximos inq; insulis sese occultātes, omnino habitatas, ex eo ipso redarguitur. Ni in insulis si refugii causa sese abdiderint, in iis nequaquā habitarunt. Sed occurris & egregiū hic miseris suffugii solamen fuisse ais, si post aliquot horas, accedente maris æstu, Labienus in littore operiens, insulis inundatione opertis, profugos

fugos perire aquis erat visurus, aut trucidaturus regredientes. At verò quanam eiusmedi insularũ ratio & quanã adversus æstum accedentẽ remedia fuerint, ut constet; adscribam certũ testẽ Plinium. Ita enim loquitur lib. 16. cap. 1: Sunt in Septentrione visæ nobis gentes Cauchorum, qui majores minoresq; appellãtur. Vasto ibi meatu, bis dierũ noctiumq; singularũ intervallis, effusus in immensum agitatur Oceanus, æternã operiens naturæ controversiam: dubiumq; terræ sit an parte in maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis: navigantibus similes cum integãt aquæ circundata: naufragis vero, cum recesserint: fugiẽtesq; cum mari pisces circa tuguria venantur &c. *Quo etiam spectant Strabonis verba de Morinis, Atrebatibus, Eburonibus Menapiorum finitimis lib. 4:* Sub bellorum, *inquit*, incursiones &c. cum totis familijs in profunda silvæ se abdunt insulas habentes in paludibus exiguas (*νησίδια est in textu*) ac tẽpore quidem pluvio facile ijs fuit effugere: siccitate oborta nõ difficulter sunt capti. *Quibus respexisse pro parte ac latius aperuisse videtur illa Cæsaris lib. 6; de quibus hic controvertitur:* sibiquemq; jussit consulere (*Ambiorix Eburo*) quorũ pars in Arduennam silvã, pars in-
contin-

continentis paludes profugi &c. Proximi Oceano in insulis sese occultaverunt, quas æstus efficere consveverunt. *Et vero in Zelandia hodieque adhuc ejusmodi tumulos & tribunalia, de quibus Plinius dixit, terrea cõspici, qui Valachriam Schaldiamque ac ceteras in proximo insulas viderunt, attestari possunt.*

CLVVERVS.

Eodem cap 29. pag. 133. vers. 27.

AD dicta Plinij verba, ita contra me notat Chorographus: *Quibus Plinij verbis quid aliud efficiatur, nõ video, nisi Toxandros statim à Schaldi ad Oceanum & Menapios versus egisse: Menapiis, inquã, qui Mosa & Rheno propiores tum agebant.* Fatetur intra Schaldim Mosamque coluisse ad Oceanum Toxandros; Zelandicas tamen tenuisse insulas, tota ea disceptatione negat. Quęro igitur, quinam populi eas tunc incoluerint? nam præter Toxandros nulli hic ab auctoribus nominantur nisi Batavi, Menapij & Morini. Quorum tamen nullos ibi locare audet. Nequidquam igitur obloquitur. Cattos incoluisse videat, quomodo nuda vocabuli similitudine, quæ est in loco *Catz*, satis probare queat. Eadem quidpe ratione alius Marsos, Semnones, Saxones, Frisios, Theuringos, Germanicas gentes ab Italiæ Marsis, Galliæ Sennonibus, Asiæ Saxonibus ac Phrygibus, Thraciæ Tyragetis deduxerit. Menapios attigisse istos insulanos, diserte testatur Cæsar, loco prædicto. Morinis item fuisse finitimos patet ex his verbis: quorum pars in Arduennam silvam, pars in continentis paludes profugit. qui proximi Oceano fuerãt, ij in insulis sese occultaverunt.

Nam

Nam in Arduennam silvam fugerunt Nervij, ad quos silva pertinuit: in continentis paludes Menapij ac Morini, quorum eas fuisse supra demõstratum est. limites ergo statuo Toxandris ab occasu Solis æstivi, Oceanum: à Septentrione Mosæ antiquum alveum, quo à Batavis disterminabantur, ut fusius infra docebitur; ab ortu & meridie flumina & euripos, quibus dictæ Zelandicæ Hollandicæque insulæ à proxima continente seperantur. In insulis sese, occultaverunt, inquit Cæsar, quas æstus efficere consveverunt. Continens igitur antea terra Zelandia. Neque nisi maioribus Oceani æstibus interfusa, id est accessu maris fiebant insulæ recessu iterum continens: quod verba consverunt diserte indicant. Sic & Diodorus.

RESPONSIO.

Quæ hic intelligitur Disceptatio adhuc ordine tertia est de Toxandris *agens demõstrarsq; ad Zelandiam referri eos haud posse, ut latius ac luculentius eadem Disceptatione absolvitur, quæ propius consulẽda. Cattos verò, ex nuda vocabuli similitudine, quæ est in loco* Catz, *coluisse Zelandiam, quod probabile non putes, concedam si nullum prætereà accedat ejus rei argumentum. Nam sane, ut absonum sit Marsos, Semnones, Saxones, Frisios, Theuringos, Germanicas gentes, ab Italiæ Marsis, Galliæ Senonibus, Asiæ Saxonibus ac Phrygibus, Thraciæ Tyragetis deducere; itànequaquam à vero alienum habendum Zelandicarũ insularum incolas, gentem nimirum Germanicam, à Germanis arcessere. Nam diserte Plinius*

lib. 4.

lib. 4. cap. 13, Omnes, *inquit,* circa Boreæ Oceanum & Rhenum ad Scaldim usque colentes, gentis sunt Germanicæ. *Zelandi ergo, qui hic positi a Rheno occiduo ad Schaldim usque pertinentes, Germanicæ sane originis sint, oportet. Et quid mirum, si eosdem a Cattis, qui agrum Batavorum & in proximo Menapiorum occuparunt, ortos similiter dicamus, remanente præsertim, ut dictum, Cattici nominis vestigio in oppido Catzio, nunc undis, ut modò indicatũ, absorpto? Sane Batavos si Tacitus non prodidisset a Cattis ortos, & tamen ex Plinio constaret gente Germanos esse, quid magis id affirmaßet, quam Cattici nominis* Cattwijck *aliæque his in oris insulisq; reliquiæ nominum similes? Quod cum ita sit, cur de Zelandis, quos jam dixi, Batavis proximo populo, similiterque Germanicæ originis adseri id ipsum eodem jure non debeat? Sed de hoc cum exstent Disceptatione 15 argumenta etiam alia a te adhuc intacta & silentio prærita, eodem lectorem teq; remittimus.*

Deinde ut, seclusis quasi a Rheno & Oceano Menapijs, totum id spatij Toxandris relinqueretur, porro ais in Continentis paludes profugisse Menapios & Morinos, illa scilicet Cæsaris ad Toxandros trahens, qui proximi Oceano fuerunt, ij in insulis se occultaverunt, quas æstus efficere consveverunt. *At sæpe jam dictum demonstratumque in Disceptationibus Chorographicis Cæsari nusquam nominatos*

Lib. 6. Bel. Gal.

Toxan-

Toxandros. Menapij autem cum ad Oceanum & Rheni ostia eidem & Straboni describantur, omnino illa Cæsaris de Menapijs illis ad Oceanum extremis potius capienda. Illa vero, quæ præcedunt, ejusdem Cæsaris: Quorum pars in Arduennam silvam, pars in continentis paludes profugi, *De* Eburonibus & Morinis *præcipue exaudienda, non ut tu tibi persuasum habes, de* Menapijs. *Quod si mihi non credas, Strabonem audias. Verba enim & totus ejus locus cujus partem supra posuimus, ita habet:* Menapijs cōtermini sunt ad Oceanum Morini, Bellovaci; Ambiani, Suessiones, & Caleti usque ad Sequanæ ostia. Menapiorum regioni similis est Morinorum, Atrebatum & Eburonum : est enim silva arborum non excelsarum, magna quidem sed non tanta, quantam scriptores faciunt, IV millia stadiorum ei tribuentes. Sub bellorum incursiones vimina arbustorum dumosorum contexentes, aditus intercludunt, defixis etiam alicubi palis: ipsi cum totis familiis in profunda silvæ se abdunt, insulas habentes in paludibus exiguas : ac tempore quidē pluvio facile ijs fuit effugere: siccitate oborta nō difficulter sunt capti, &c. *Ex quibus patet, primo si Morini ad Oceanum contermini fuerint Menapijs, semotiores ab ijs atq; introrsus magis egisse Plinij, si qui ad Scaldim tunc fuerint,* Lib. 4.

rint, Toxandros. *Deinde cum addatur Menapiorum regioni similem Morinorum, Attrebatum & Eburonum, omnino concedendum ista de belli incursionibus, deque silva & continentis paludibus ceteraque ad eosdem Morinos præsertim & Eburones ante omnia referenda, locũq; Cæsaris, de quo hic agitur, in mentem habuisse*
Lib. 6. bel. Gall. *Strabonem, hunc nimirum:* Clam dimissis per agros nuncijs, sibi quemque consulere jussit (*Ambiorix Eburo*) quorum pars in Arduennam silvam, pars in continentis paludes profugi. Qui proximi Oceano fuerunt, ij in insulis sese occultaverunt, quas æstus efficere consveverunt. *Et statim:* Titum Labienũ cum legionibus tribus ad Oceanum versus eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci jubet. *Quæ* Menapios, *inquit*, attingunt, *ut manifesto pateat, quod ex Strabone indicavimus, Eburones scilicet & ceteros eos, non Menapios hac expeditione sibi in paludibus & silvis consuluisse. Sed, inquies, quare hîc immunes Menapij? Quia nimirum, ut liquet ex initio hujus ejusdẽ sexti Cæsariani commentarij, Menapij, cum primum in has oras movisset ipsosque Menapios impetivisset Cæsar, pace statim pacta obsides Cæsari dederant, & ipse vicissim Comium Atrebatem cum equitatu, custodis loco apud eos reliquerat. Locus quanquam prolixior sit, adscribam tamẽ:* Quod pro explorato habebat (*Cæsar*) Ambio-

Ambiorigem prælio non esse decertaturum, reliqua ejus consilia animo circunspiciebat. Erant Menapij propinqui Eburonum finibus, perpetuis paludibus silvisq; muniti, qui uni ex Gallia de pace ad Cæsarem legatos nunquam miserant. Cum ijs esse hospitium Ambiorigi sciebat: item per Treviros venisse Germanis in amicitiam cognoverat. Hæc prius illi detrahenda auxilia existimabat, quam ipsum bello lacessendum: ne desperata salute, aut se in Menapios abderet, aut cũ Transrhenanis congredi cogeretur. Hoc inito cõsilio totius exercitus impedimẽta ad Labienum in Treviros, duasque legiones ad eum proficisci jubet. Ipse cum legionibus expeditis in Menapios proficiscitur. Illi nulla coacta manu, loci præsidio freti in silvas paludesq; confugiunt suaque eodem conferunt. Cæsar partitis copijs cum M. Fabro legato, & M. Crasso quæstore celeriterque effectis pontibus, adijt tripartito, ædificia vicosq; incendit, magno pecoris atq; hominum numero potitur. quibus rebus coacti Menapij, legatos ad eum, pacis perẽdæ causa, mittunt. Ille obsidibus acceptis, hostium se habiturum numero confirmat, si aut Ambiorigem, aut ejus legatos, finibus suis recepissent. His confirmatis rebus Comium Ibid. lib. 6

Atrebatem cum equitatu custodis loco in Menapijs relinquit: ipse in Treviros proficiscitur. *Unde iterum patet falsum esse quod superius asserebas Menapios fuisse qui in continentis paludes confugerint cum id de hac tantum expeditione verum sit: Postquam, scilicet, pace accepta & Comio Atrebate custodis loco apud se servato, nihil erat quod magnopere metuerent secunda invasione, de qua Cæsaris illa superius proprie intelligenda. Quocirca iterum concludo,* proximos illos Oceano, *vix alios fuisse quam Menapiorum ad Oceanum extremos, qui bel i nihilominus fama moti insulas &, ut vocant hodieque Zelandi, proximos poldros sui consulendi causa petierunt.*

Ais denique Zelandicam terram ante fuisse continentem, & non nisi majoribus Oceani æstibus interfusam, id est, accessu maris factas insulas, recessu iterum continentem: Quod quomodo primo respondebit antecedentibus, quibus adstructum voluisti, plus indies invectum *quidem in Zelandiam* fuisse hactenus Oceanum, quam avectum; *nec tamen, ut & Bataviæ littori, quidquam pene ei deperisse? Sed tu vocabis me forte ad Aboriginum ævum; de quo alibi. Deinde quid ista tuâ assertione magis à rerum natura ac præsenti regionũ facie alienius magisque abhorrens? Videmus enim & accedente & vicissim recedente Oceano manere nihilominus profundum inter insulas mare; nisi quod*

vada

vada & æstuaria quibusdā in locis intercurrant. Verum, inquies, verbis hoc Cæsaris ac Diodori adstruitur. Cæsarem quidem audio dicere, æstus cōsvevisse eas insulas efficere. *Quos æstus unde tu probes de solo æstu accessus accipiendos? Est enim æstus Latinis non accessus tantum, sed & recessus maris, id est inquietudo illa in genere Oceani: Varro, ut alibi notamus, peculiari utrāq; rem voce expressit, recessum scilicet* salaciam, *accessum* veniliam *maris nominans. Certè* Poldros *hodieque in Zelandis quos dixi, & accessu & recessu Oceani adnasci constat, æstuumq́; adgestus esse. Diodori autem, quæ adducis verba, de Vecti & insulis loquuntur Britanniæ, ubi soli omnino diversi ratio aliaq́; peculiaria sunt, quæ etiā Diodorus innuit, nec ad Zelandiæ situm & solum ullatenus trahenda. Et præter hæc non advertis, his tam inconsultè depromptis, quàm te ipsum, præter jam dicta, confutes. Si enim continens & veluti chersonesus ac peninsula fuerint istæ insulæ, & tantum majoribus maris accessibus insulæ, quid tum profugis fuisset in ijs solatij, nunquid & hosti imminenti ubi in se mare rediret, patuissent omnes? En quam ubiq; impingere necesse eum, qui à regio semel tramite exorbitarit!*

CLVVERVS.

SI Drusus primum inclusit, qui somniare Cæsar potuit, Drusum id facturum: insulasq; ibi fore, quarū una nunc Eperlandt appellatur?

Eod. cap. 29. pag. 134 vers. 21. Vide Disc. 4.

Respondere ad hæc voluit Chorographus Cæsaris hisce verbis præmissis, *Mosa profluit &c.* Et deinde idem Cæsar: *Rhenus autem oritur ex Lepontijs, &c.* Ecquid tu putas in descriptione Rheni primum illud divortium, quod est ad munimentum Scenckianum Cæsarem voluisse præterire? Iam sane magis incuriosum eum facis, magisque supinum quam volueras. Vbi vero illa multa Rheni capita infra hoc divortium, multæ & ingentes insulæ? aut cur illa à posterioribus authoribus Mela, Plinio, Tacito & alijs, quorum temporibus jam dudum Romani has oras præsidiis tenuerunt, non memorata? Elices hic medij Rheni obtrudis, nescio quos: maxime tamen Vechtam. Sed an tu ignoras, quam ob causam Drusus inter Rhenum & Isalam novi & immensi operis, teste Svetonio, egit fossam nempe, uti lacum æstuariaque Frisiorum ad Amisiæ usque os navigare classibus posset. Si igitur jam Cæsaris ævo haud perinde modicus, ut à latissimo etiam tum medij Rheni alveo divortebatur: haud opus erat Druso immenso opere novum parare meatum in tenui amne Isala. Infra Vectam si fuisse ais multa illa capita operam lusit Corbulo in nova fossa xx circiter mill. pass. inter Rhenum Mosamque agenda. De qua quam proba sit tua sententia suo loco videbimus.

Cæsaris *supinam negligentiam & mirandam incuriam* cum jam antea sæpe notaverim, sæpiusque infra notavero: tum heic maxime ex eo perficitur, quod Mosam potius dixerit efficere insulam Batavorum, quam Rhenum; quum tamē ille ore tantum suo eam attigerit, ut infra patebit.

tebit. Atque equidem credo non eum tantum Batavorum agrum Cæsarē intellexisse, qui erat in insula Rheni: sed & eum, qui extra Rhenum seu Vahalim: cuius totum latus meridionale claudebat Mosa: ut infra ostendam. In his igitur & innumeris aliis, quum tam enormiter erraverit, vel supinum egerit Cæsar; quid mirū, si Asinio apud Strabonem credamus, male fecisse eum atq; * imperite, dum Rheno duobus plura prodiderit capita.

* Non ita loquitur Asinius.

Nugæ igitur sunt tuæ superiorumque scriptorum de insula ovorum, quæ vulgo dicitur Eyerlandt: nugæ inquam, & mera historiæ antiquæ ignorantia. Aliter Cæsar interpretandus erat, cumque ceteris authoribus conciliandus. Conciliatio autem facilis est. Res sic se habet: Primum Cæsarem has partes unquam ipsum adisse, haud usquam é Cōmentariis eius aliove scriptore ostenderis. Non adisse sese, testatur ipse hoc verbo existimantur &c. Vide lib. 2. pag. 135.

Egregia cōciliatio.

RESPONSIO.

Status quæstionis quem hic involvis & torques, erat iste; an nimirum verba Cæsaris, à te citata ex 4. bel. Gal. quibus nonnullos Rheni insulanos piscibus & ovis avium vivere *commemorat, ad Zelandiæ & huic proximam Bataviæ occiduæ partem; an verò ad Rheni extimas & Boreales oras referenda. Tu ad Zelandiam & proxima huic loca trahenda voluisti. Nos negavimus, negamusq; etiamnum ex verbis Cæsaris id posse elici, sed omnino ad Borealem Rheni de-*

cursum ubi hodieque superstes est Everlandt *seu* ovorũ insula, *esse respiciendum asseruimus. Sed, inquis, Drusi tunc fossa nulla erat, tempore nimirum Cæsaris, ut intra Rhenum hæc insula constitui potuerit. Respondimus Cæsarem præter legitimum Rheni exitum, Plinio postea medium, elices ex eodem plures seu amniculos exitusque vadosos, hoc est, lato modo Rhenum accepisse; cujusmodi erat* Amstela *&* Vechta *per Mudã perq́ minores Frisios ac Frisiabones aliasque, quæ postea eluvionibus periêre gentes, sparsæ paludes & rivi: quorum aspectu omnium Cæsar* multis capitibus Rhenũ *hac parte (nimirum versus Germaniam, nã parte altera versus Gallias cum Vahali & Mosa in Oceanũ eundẽ jam ante deduxerat)* in Oceanũ *ait* influere. *Et hoc est quod Asinius apud Strabonem ævo adhuc Cæsaris quasi reprehendens & certos ac legitimos tantũ alveos & ostia spectans, duo non plura videtur admisisse. Quocirca quod ante & hactenus fortiter dissimulasti, iterum vides extra oleas vagari te, dum Cæsaris ista de ovis avium ad illam Rheni partem, quâ eum cum Vahali & Mosa in mare dimittit, Cæsare invito studes traducere: cũ nihil ibi de ovis aviũ, sed hic demũ Cæsar cõmemoret.*

His positis, colligi præter alia, & hoc potest, frustraneũ & impertinens esse, quod dehinc quæris, cur ergo Drusus fossam duxerit, si hac parte per Vechtã nimirũ, Amisiã versum exitus patuerit: Si enim ad verba, quæ posuimus voluisses atten-
dere,

dere, advertisses facile fuisse tū hæc omnia vadosa & rivos amniculosque exiguos, quæ postmodum, ductâ Drusi fossâ, & Oceano mari undantius influente, abesa paulatim omnia eorumq; loco mare tandē patēs redditum.

Iam quod dicis, nostra superiorūq; scriptūm, *ita enim loqueris*, nugas esse & merum historiæ antiquæ ignorātiā, cōciliatione tantū Cæsaris atq; interpretatione opus esse, *præter insignē & brutā in bonos debacchationē, insignē præterea contradictionē cum antecedentibus collatum, in se includit Si enim interpretatione & cōciliatione Cæsar eget, cur igitur ei* supinā negligentiā, cur mirandā incuriā *objicis Cluvere? Audiamus tamē; ità enim porro addis*, cōciliatio facilis: res sic habet: Primū Cæsarē has partes unquā ipsū adisse haud usquā è commentarijs eius aliove scriptore ostēderis, nō adisse sese, testatur ipse hoc verbo, existimantur. *En egregiam cum sequentibus authoribus conciliationē! Non adijt has oras Cæsar, non vidit, ignoravit ergo, quæ scripsit. Quis hæc sine stomacho aut cachinno concoquat? Sed hoc malim.*

Postremum ais: atq; equidē credo nō eum tantum Batavorum agrum Cæsarē intellexisse, qui erat in insula Rheni; sed & eū, qui extra Rhenū seu Vahalim; cujus totū latus meridionale claudebat Mosa. *Verba Cæsaris quæ respicis ista sunt: Mosa profluit ex*

monte Vosago, qui est in finibus lingonũ, & parte quadã Rheni recepta, quæ appellabatur Vahalis insulã efficit Batavorũ. *Quę Cæsaris locum alibi nobis propius excussum hic nõ retractamus, hoc tantum occasione tuorum verborum nunc dicimus, nequaquam ex eo, quod tu vis, concludi,* insulæ, *inquam,* Batavorum *nomine, non* insulam *sed &* agrum in continente, Mosævaliam *hodie dicimus, apud Cæsarem intellectum aut intelligendum. Quo enim exemplo demonstres* insulam *Cæsari etiam* continentem *esse. Quin & discriminavit diserte Tacitus;* Insulam *enim* Batavorum *ubi dicit, à continentis parte, quæ ad Batavos etiam spectavit seperatam demonstrat, cum inquit*: Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione donestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulã &c. occupavere. *Quo quid esse manifestius ad te coarguẽdũ potest? ut liqueat simul quã tu semper cum bonis authoribus aut veritate manus cõferas, dum aut ignorare, quæ scribũt, obijcis; aut alium atq; alium ex tuo illis sensum affingis.*

CLVVERVS.

Ibid. pag. 136. v. 19. VErum obloquitur hic iterum malus ille malignusque Chorographus, his verbis: *Quis non censeat potius* Rheni *æstuaria, in qua irrepsisse* Chaucos *levibus navigijs* Tacitus *refert,* Flevum *non* Scaldiæ *æstuaria fuisse: Flevum dico* Chaucorum *terris quam proximum; & facili ex Visurgi* Amisiaque

& illis

& illis vicinis oris descensu obvium? ideoque & Corbulonem intelligendum triremes alveo Rheni(nunc Isalam dicimus) in lacus & æstueria se eo loci expandentis naviumque ceteras huic rei aptas atque habiles, per eadem æstuaria & fossas adegisse, hostiumque tandem lintribus eum in modum depressis, de imperij & Galliarum ora ac limite, qui, ut mox patebit, hic statuendus, exturbasse Gennascum? Hæc plana hoc pacto, & perspicua existimo: Egregie sane: scilicet pueris in Schola non doctis viris. Aequus judicet lector, an satis sciens volensque malignum te mihi præbueris. Quam disertissime auctor distinguit: triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles per æstuaria & fossas adegisseCorbulonem. Tu verò omnia eodem deducis. Auctor ait *alveo Rheni* & per æstuaria & fossas triremes navesque fuisse adactas: tu per Rhenū in æstuaria & fossas deducis: ibique vis Gennascum de imperij & Galliarum ora ac limite exturbatum fuisse. De quo tuo Galliç limite, quam falsus falsum sequaris auctorem Iunium infra plurimis experiemur argumentis, si quid adhuc in Commentario meo de Rheni tribus ostiis desideres.

Ecquid vero te pudet Batavos tuos, quorum gloriam contra obtrectationes meas defensurum te recepisti, heic *imbelles* appellare? quorum virtute Romani, jam inde à Cæsaris ævo, consequuti, quidquid fere consequuti. Sed hæc non ausus es. maluisti igitur auctorē corrumpere: pro voce *imbelles* scribens *rebelles*. At tu ubi legisti Corbulonis seu Claudii tempore rebellasse Batavos? Item ubi divites eos fuisse cognovisti? Ludere nos pariter omnes voluisti.

Haud

Haud quidpe ignorasse te puto, Gallorum orã finitimam fuisse Scaldis ostio, ut supra ostensum. Reliquum Galliæ littus inter Scaldim & Rhen[illegible] tenuisse Germanos, & in his Batavos. Hæc sane quanta sit malignitas viderint alij.

RESPONSIO.

Duo hîc Cluvere insignia tua sunt, confidẽtia *&* calumnia: *De priori prius. Probavimus evidentibus argumentis Disceptat. 5 ad Caput 2 tui Commentarij*, æstuaria *in Taciti verbis Annal. 11 de Flevi æstuarijs, non autem de Zelandia aut Toxandris accipienda. Et quamvis manifesto teneri te sentis, tamen contra niti nõ desinis, vibrans præcipue linguæ tuæ tela, & quidquid tibi fervida dictet bilis. Quid enim est aliud quod hîc in adversum producis? Nam nec ea, quæ à te ipso è nostris citantur cõvellendaq; tibimet proponis, convellis, ut mittam cetera omnia, quæ eâ Disceptatione in eandem rem luculenta habẽtur argumenta, à te ne verbulo quidem vel indicata vel tentata. Ais desertissime auctorem distinguere*, triremes alveo Rheni, ceteras navium ut quæq; habiles per æstuaria & fossas adegisse Corbulonem: *me autẽ omnia eodem ducere. Quod ut constet de te verissimum esse, de nostris confictum & falsum, primo tuam interpretationem ponam, quæ, ut ex supra positis liquet, ejusmodi est:* Auctor *(Tacitus)* ait alveo Rheni & per æstuaria & fossas triremes naves:

navesque fuisse adactas. *Vbi vides nō modo te naves, quas Tacitus huic rei habiles & aptas per æstuaria ducebat, sed & triremes eodem ducere. At nostra, quæ sunt nisi paraphrasis verborū Taciti, hæc omnia ad mentē Taciti accuratè distinguunt. Ita enim dicimus;* Ideoq; & Corbulonē intelligendum triremes alveo Rheni (nunc Isalam dicimus) expandentis se eo loci in lacus & æstuaria naviumq; ceteras huic rei aptas & habiles per eadē æstuaria & fossas adegisse, hostiumq; tandē lintribus eum in modum depressis &c. *Manifesto patet nihil hic nos ultra Tacitum loqui; nec, ut tu nostra cōtorques,* per Rhenum in æstuaria & fossas omnia deducere. *Idq; ut liquidius etiam constet paulo altius repetita Taciti verba apponam, nostris parenthesi inclusis:* At Corbulo provinciā ingressus magna cum cura & mox gloria, cui principiū illa militia fuit, triremes alveo Rheni *(seu Isalæ in lacus & æstuaria se eo loci expandentis)* ceteras navium ut quæque habiles (*& huic rei aptæ)* per eadem *(in qua nimirum Rhenus se ibi expandit)* æstuaria & fossas adigit. *En non ovum ovo similius. Tua autem sive sensum sive verba spectemus, in omnia alia, ut jam ostensum, abeunt. Tantum quod uno nunc Rheni alveo te contineas, cum in Commentario tuo, quod illa Disceptatione quinta, inter cetera tua, à nobis notatum, non Rheno tantum medio,*

Atrebatem cum equitatu custodis loco in Menapijs relinquit: ipse in Treviros proficiscitur. *Vnde iterum patet falsum esse quod superius asserebas Menapios fuisse qui in continentis paludes confugerint cum id de hac tantum expeditione verum sit: Postquam, scilicet, pace accepta & Comio Atrebate custodis loco apud se servato, nihil erat quod magnopere metuerent secunda invasione, de qua Casaris illa superius proprie intelligenda. Quocirca iterum concludo,* proximos illos Oceano, *vix alios fuisse quam Menapiorum ad Oceanum extremos, qui bel i nihilominus fama moti insulas &, ut vocant hodieque Zelandi, proximos poldros sui consulendi causa petierunt.*

Ais denique Zelandicam terram ante fuisse continentem, & non nisi majoribus Oceani æstibus interfusam, id est, accessu maris factas insulas, recessu iterum continentem: Quod quomodo primo respondebit antecedentibus, quibus adstructum voluisti, plus indies invectum *quidem in Zelandiam* fuisse hactenus Oceanum, quam avectum; *nec tamen, ut & Bataviæ littori, quidquam pene ei deperisse? Sed tu vocabis me forte ad Aboriginum ævum; de quo alibi. Deinde quid ista tua assertione magis à rerum natura ac præsenti regionũ facie alienius magisque abhorrens? Videmus enim & accedente & vicissim recedente Oceano manere nihilominus profundum inter insulas mare; nisi quod*

vada

vada & æstuaria quibusdā in locis intercurrant. Verum, inquies, verbis hoc Cæsaris ac Diodori adstruitur. Cæsarem quidem audio dicere, æstus cōsvevisse eas insulas efficere. *Quos æstus unde tu probes de solo æstu accessus accipiendos? Est enim æstus Latinis non accessus tantum, sed & recessus maris, id est inquietudo illa in genere Oceani. Varro, ut alibi notamus, peculiari utrāq; rem voce expressit, recessum scilicet* salaciam, *accessum* veniliam *maris nominans. Certe* Poldros *hodieque in Zelandis quos dixi, & accessu & recessu Oceani adnasci constat, æstuumq; adgestus esse. Diodori autem, quæ adducis verba, de Vecti & insulis loquuntur Britanniæ, ubi soli omnino diversi ratio aliaq; peculiaria sunt, quæ etiā Diodorus innuit, nec ad Zelandiæ situm & solum ullatenus trahenda. Et præter hæc non advertis, his tam inconsultè depromptis, quàm te ipsum, præter jam dicta, confutes. Si enim continens & veluti chersonesus ac peninsula fuerint istæ insulæ, & tantum majoribus maris accessibus insulæ, quid tum profugis fuisset in ijs solatij, nunquid & hosti imminenti ubi in se mare rediret, patuissent omnes? En quam ubiq; impingere necesse eum, qui à regio semel tramite exorbitarit!*

CLVVERVS.

SI Drusus primum inclusit, qui somniare Cæsar potuit, Drusum id facturum: insulasq; ibi fore, quarū una nunc **Eperlandt** appellatur?

Eod. cap. 29. pag. 134 vers. 21. Respondere ad hæc voluit Chorographus Cæsaris hisce verbis præmissis, *Mosa profluit &c.* Et deinde idem Cæsar: *Rhenus autem oritur ex Lepontijs, &c.* Ecquid tu putas in descriptione Rheni primum illud divortium, quod est ad munimentum Scenckianum Cæsarem voluisse præterire? Iam sane magis incuriosum eum facis, magisque supinum quam volueras. Vbi vero illa multa Rheni capita infra hoc divortium, multæ & ingentes insulæ? aut cur illa à posterioribus authoribus Mela, Plinio, Tacito & alijs, quorum temporibus jam dudum Romani has oras præsidiis tenuerunt, non memorata? Elices hic medij Rheni obtrudis, nescio quos: maxime tamen Vechtam. Sed an tu ignoras, quam ob causam Drusus inter Rhenum & Isalam novi & immensi operis, teste Svetonio, egit fossam nempe, uti lacum æstuariaque Frisiorum ad Amisiæ usque os navigare classibus posset. Si igitur jam Cæsaris ævo haud perinde modicus, ut à latissimo etiam tum medij Rheni alveo divortebatur: haud opus erat Druso immenso opere novum parare meatum in tenui amne Isala. Infra Vectam si fuisse ais multa illa capita operam lusit Corbulo in nova fossa xx circiter mill. pass. inter Rhenum Mosamque agenda. De qua quam proba sit tua sententia suo loco videbimus.

Vide Disc. 4.

Cæsaris *supinam negligentiam* & *mirandam incuriam* cum jam antea sæpe notaverim, sæpiusque infra notavero: tum heic maxime ex eo perficitur, quod Mosam potius dixerit efficere insulam Batavorum, quam Rhenum; quum tamē ille ore tantum suo eam attigerit, ut infra patebit.

tebit. Atque equidem credo non eum tantum Batavorum agrum Cæsarē intellexisse, qui erat in insula Rheni: sed & eum, qui extra Rhenum seu Vahalim: cuius totum latus meridionale claudebat Mosa: ut infra ostendam. In his igitur & innumeris aliis, quum tam enormiter erraverit, vel supinum egerit Cæsar; quid mirū, si Asinio apud Strabonem credamus, male fecisse eum atq; * imperite, dum Rheno duobus plura prodiderit capita.

* Non ita loquitur Asinius.

Nugæ igitur sunt tuæ superiorumque scriptorum de insula ovorum, quæ vulgo dicitur Eyerlandt: nugæ inquam, & mera historiæ antiquæ ignorantia. Aliter Cæsar interpretandus erat, cumque ceteris authoribus conciliandus. Conciliatio autem facilis est. Res sic se habet: Primum Cæsarem has partes unquam ipsum adisse, haud usquam ė Cōmentariis eius aliove scriptore ostenderis. Non adisse sese, testatur ipse hoc verbo existimantur &c. Vide lib. 2. pag. 135.

Egregia cō ciliatio.

RESPONSIO.

Status quæstionis quem hic involvis & torques, erat iste; an nimirum verba Cæsaris, à te citata ex 4. bel. Gal. quibus nonnullos Rheni insulanos piscibus & ovis avium vivere *commemorat, ad Zelandiæ & huic proximam Bataviæ occiduæ partem; an verò ad Rheni extimas & Boreales oras referenda. Tu ad Zelandiam & proxima huic loca trahenda voluisti. Nos negavimus, negamusq́ etiamnum ex verbis Cæsaris id posse elici, sed omnino ad Borealem Rheni de-*

cursum ubi hodieque superstes est Euerlandt *seu* ovorū insula, *esse respiciendum asseruimus. Sed, inquis, Drusi tunc fossa nulla erat, tempore nimirum Cæsaris, ut intra Rhenum hæc insula constitui potuerit. Respondimus Cæsarem præter legitimum Rheni exitum, Plinio postea medium, elices ex eodem plures seu amniculos exitusque vadosos, hoc est, lato modo Rhenum accepisse; cujusmodi erat* Amstela *&* Vechta *per Mudā perq̃; minores Frisios ac Frisiabones aliasque, quæ postea eluvionibus periere gentes, sparsæ paludes & rivi: quorum aspectu omnium Cæsar* multis capitibus Rhenū *hac parte (nimirum versus Germaniam, nā parte altera versus Gallias cum Vahali & Mosa in Oceanū eundē jam ante deduxerat)* in Oceanū *ait* influere. *Et hoc est quod Asinius apud Strabonem ævo adhuc Cæsaris quasi reprehendens & certos ac legitimos tantū alveos & ostia spectans, duo non plura videtur admisisse. Quocirca quod ante & hactenus fortiter dissimulasti, iterum vides extra oleas vagari te, dum Cæsaris ista de ovis avium ad illam Rheni partem, quâ eum cum Vahali & Mosa in mare dimittit, Cæsare invito studes traducere: cū nihil ibi de ovis aviū, sed hic demū Cæsar cōmemoret.*

His positis, colligi præter alia, & hoc potest, frustraneū & impertinens esse, quod dehinc quæris, cur ergo Drusus fossam duxerit, si hac parte per Vechtā nimirū, Amisiā versum exitus patuerit: Si enim ad verba, quæ posuimus voluisses attendere,

dere, advertiſſes facile fuiſſe tũ hac omnia vadoſa & rivos amniculoſque exiguos, qua poſtmodum, ductâ Druſi foſſâ, & Oceano mari undantius influente, abeſa paulatim omnia eorumq́; loco mare tandẽ patẽs redditum.

Iam quod dicis, noſtra ſuperiorũq; ſcriptũm, *ita enim loqueris*, nugas eſſe & merum hiſtoriæ antiquæ ignorãtiã, cõciliatione tantũ Cæſaris atq; interpretatione opus eſſe, *prater inſignẽ & brutã in bonos debacchationẽ, inſignẽ praterea contradictionẽ cum antecedentibus collatum, in ſe includit Si enim interpretatione & cõciliatione Cæſar eget, cur igitur ei* ſupinã negligentiã, cur mirandã incuriã *obijcis Cluvere? Audiamus tamẽ; ità enim porro addis*, cõciliatio facilis: res ſic habet: Primũ Cæſarẽ has partes unquã ipsũ adiſſe haud uſquã è commentarijs eius aliove ſcriptore oſtẽderis, nõ adiſſe ſeſe, teſtatur ipſe hoc verbo, exiſtimantur. *En egregiam cum ſequentibus authoribus conciliationẽ! Non adijt has oras Cæſar, non vidit, ignoravit ergo, qua ſcripſit. Quis hac ſine ſtomacho aut cachinno concoquat? Sed hoc malim.*

Poſtremum ais: atq; equidẽ credo nõ eum tantum Batavorum agrum Cæſarẽ intellexiſſe, qui erat in inſula Rheni; ſed & eũ, qui extra Rhenũ ſeu Vahalim; cujus totũ latus meridionale claudebat Moſa. *Verba Cæſaris qua reſpicis iſta ſunt : Moſa profluit ex*

monte Vosago, qui est in finibus lingonũ, & parte quadã Rheni recepta, quæ appellabatur Vahalis insulã efficit Batavorũ. *Quẽ Cæsaris locum alibi nobis propius excussum hic nõ retractamus, hoc tantum occasione tuorum verborum nunc dicimus, nequaquam ex eo, quod tu vis, concludi,* insulæ, *inquam,* Batavorum *nomine, non* insulam *sed &* agrum in continente, Mosævaliam *hodie dicimus, apud Cæsarem intellectum aut intelligendum. Quo enim exemplo demonstres* insulam *Cæsari etiam* continentem *esse. Quin & discriminavit diserte Tacitus;* Insulam *enim* Batavorum *ubi dicit, à continentis parte, quæ ad Batavos etiam spectavit seperatam demonstrat, cum inquit*: Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione donestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulã &c. occupavere. *Quo quid esse manifestius ad te coarguẽdũ potest? ut liqueat simul quã tu semper cum bonis authoribus aut veritate manus cõferas, dum aut ignorare, quæ scribũt, obijcis; aut alium atq; alium ex tuo illis sensum affingis.*

CLVVERVS.

Ibid. pag. 336. v. 19. VErum obloquitur hic iterum malus ille malignusque Chorographus, his verbis: *Quis non censeat potius* Rheni *æstuaria, in qua irrepsisse* Chaucos *levibus navigijs* Tacitus *refert,* Flevum *non* Scaldiæ *æstuaria fuisse: Flevum dico* Chaucorum *terris quam proximum: & facili ex* Visurgi Amisiaque

& illis

& illis vicimis oris descensu obvium? ideoque & Corbulonem intelligendum triremes alveo Rheni(nunc Isalam dicimus) in lacus & æstueria se eo loci expandentis naviumque ceteras huic rei aptas atque hab[illegible], per eadem æstuaria & fossas adegisse, hostiumque tandem lintribus eum in modum depressis, de imperij & Galliarum ora ac limite, qui, ut mox patebit, hic statuendus, exturbasse Gennascum? Hæc plana hoc pacto, & perspicua existimo: Egregie sane: scilicet pueris in Schola non doctis viris. Aequus judicet lector, an satis sciens volensque malignum te mihi præbueris. Quam disertissime auctor distinguit: triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles per æstuaria & fossas adegisseCorbulonem. Tu verò omnia eodem deducis. Auctor ait *alveo Rheni* & per æstuaria & fossas triremes navesque fuisse adactas: tu per Rhenũ in æstuaria & fossas deducis: ibique vis Gennascum de imperij & Galliarum ora ac limite exturbatum fuisse. De quo tuo Galliç limite, quam falsus falsum sequaris auctorem Iunium infra plurimis experiemur argumentis, si quid adhuc in Commentario meo de Rheni tribus ostiis desideres.

Ecquid vero te pudet Batavos tuos, quorum gloriam contra obtrectationes meas defensurum te recepisti, heic *imbelles* appellare? quorum virtute Romani, jam inde à Cæsaris ævo, consequuti, quidquid fere consequuti. Sed hæc non ausus es. maluisti igitur auctorẽ corrumpere: pro voce *imbelles* scribens *rebelles*. At tu ubi legisti Corbulonis seu Claudii tempore rebellasse Batavos? Item ubi divites eos fuisse cognovisti? Ludere nos pariter omnes voluisti.

Haud

navesque fuisse adactas. *Ubi vides nō modo te naves, quas Tacitus huic rei habiles & aptas per æstuaria ducebat, sed & triremes eodem ducere. At nostra, quæ sunt nisi paraphrasis verborū Taciti, hæc omnia ad mentē Taciti accuratè distinguunt. Ita enim dicimus;* Ideoq; & Corbulonē intelligendum triremes alveo Rheni (nunc Isalam dicimus) expandentis se eo loci in lacus & æstuaria naviumq; ceteras huic rei aptas & habiles per eadē æstuaria & fossas adegisse, hostiumq; tandē lintribus eum in modum depressis &c. *Manifesto patet nihil hic nos ultra Tacitum loqui; nec, ut tu nostra cōtorques,* per Rhenum in æstuaria & fossas omnia deducere. *Idq; ut liquidius etiam constet paulo altius repetita Taciti verba apponam, nostris parenthesi inclusis*: At Corbulo provinciā ingressus magna cum cura & mox gloria, cui principiū illa militia fuit, triremes alveo Rheni *(seu Isalæ in lacus & æstuaria se eo loci expandentis)* ceteras navium ut quæque habiles (*& huic rei aptæ*) per eadem *(in qua nimirum Rhenus se ibi expandit)* æstuaria & fossas adigit. *En non ovum ovo similius. Tua autem sive sensum sive verba spectemus, in omnia alia, ut jam ostensum, abeunt. Tantum quod uno nunc Rheni alveo te contineas, cum in Commentario tuo, quod illa Disceptatione quinta, inter cetera tua, à nobis notatum, non Rheno tantum medio,*

medio, sed & Vahali & Mosæ has triremes naves per æstuaria adigeres. Quod hic silentio prudens præteris. Verum & silentium solet esse reorum confessio. Iam te ipsum contẽplare quanta existimationis tuæ securitate has literas tractes & quantâ confidentiâ, qui dum superiora illa, quæ è nostris citas, frustraneo & frivolo schemate impugnas, & hæc, præter alia à nobis ammadversa, non dico defendas, sed monitu nostro circunspectior redditus aut mutes aut prætermittas, tamen φορτικὰ *illa & trivialia in nos audes scõmata jacere.*

Confidentiam *vidimus. nunc ad* Calumniã *ut veniamus præmittenda sunt hæc Taciti, quæ superioribus à nobis citatis continuo præcedunt, hæc inquam:* Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi, de morte Sanquinij alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniã incursavere, duce Gennasco, qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, post transfuga levibus navigiis prædabundus Gallorũ maxime oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus, &c. *Qui Taciti locus in Chorographicis nostris Disceptationibus Discept. 5. integer expressus est; tantum quod casu & vitio typothetæ non* imbelles, *quomodo oportuit, sed* rebelles *excusum sit. Cluverus tamen, ut aliquid, quod diceret, haberet (causa enim ipsa, ut ex antedi-*

ctis

ctis patuit, eum deserit) mei calūniandi occasionē hinc arripiens, ita nos legere ferreo suo ore effari non erubuit. At ubi nos, Cluvere, ita legendū Tacitum dicimus? Ne gry quidem est tota ea Disceptatione, quo vel levi suspicione id intelligi queat. Nec etiam, quod non nescisti, eo loci id agitur an imbelles *aut* rebelles *sit verior lectio; sed illud tantū, an ibi Tacitus de Flevi æstuarijs deque Rheno, quem nunc Isalam dicimus, an vero de medio Rheni alveo Zelandiæq; æstuarijs esset exaudiendus: Quorum prius à nobis asseritur, alterum argumentis satis firmis, ut erroneum & huc imaginosè à te detortum, convellitur. At tu omissa re, &, ut ille inquit, irilus capellis sepositis, ad alia & erratum hoc typographicum confugis: Ecoque te suaviter oblectans ac disertum faciens cōfidenter calumniaris nosq; apud gnaros ignarosque bonos malosque studes traducere, præsertim cum ita fere ubique nostri mentionem injicias, ut & Disceptationem & & locum, quem intelligi vis, consulto omittas, quo nimirum hoc pacto teque malitiamque tuam & fucos securius occultares. Postremo nec vereris egregiam hanc observationem tali epiphonemate concludere:* Hæc sane quanta sit malignitas viderint alij. *Scilicet videbas malignitatē hanc tuam erga nos, sive injuriam potius dicam, insignitam esse; ideoque & occupare voluisti & nobis inter cetera emblemata obijcere, quod sciebas tibi meritissimo convenire. Mirabar*

Cluvere

Cluvere ubi hæc lecturus eris, modò in te vel mi-ca superſit honeſtatis, ſi te tui non pudebit pige-bitque; me ſane jam diu tædet pœnitetq́.

Aliis quoq́ ad quos provocare videris, noſtrã hac parte ſatis perſpectã eſſe innocentiam, tuam vero malignitatem calumniaſque patere jam omnibus, oſtendere poſſim literis ad me docto-rum virorum non unis, & præſertim eâ maximi ſummaque ut eruditionis ità & auctoritatis viri epiſtolâ, quam in Originibus Francicis ſuo loco integram expreſſi. In qua, quod ad rem hanc ſpectet, illud invenies:

Cæterum etſi aliquid remiſiſſe (*Clu-verus*) videtur de ferocia quæ in libello ante hac edito apparebat, multum tamen audaciæ retinet. Cujus inſigne documẽ-tum eſt quod ſæpe voces delet, aut im-mutat nullis librorum veſtigiis, ſola in-geni ſui fiducia. Reprehendendi quoque alios magna eum tenet prurigo. Quem morbum eo patientius in ipſo qui vivunt ferre debent, quod Cæſar quod Strabo aliique præſtantiſſimi auctores ſæpe ab il-lo ſupinæ ignorantiæ aguntur rei. Cum quibus una culpari, id vero mihi videtur eſſe laudari. Ad ea quæ ſigillatim attin-gis, ut veniam: *rebellis* in libro tuo ſcrip-tum pro *imbellis* caſu non autem malitiâ (ut ipſe interpretatur) æquo iudici facile apparet, cum in ea mutatione nullum ſit poſitum

positum momentum ad eã quidẽ, quæ inter vos agitatur, controversiam, &c.

CLVVERVS.

NEquidquam igitur heic etiam obloqueris Chorographe. Offendi te his Marcellini verbis video, *apud Toxandriã locum habitacula sibi figere*, ac malle cum docto nescio quo viro legere, Toxandri locum, quasi Marcellinus vernaculum gentis vocabulum *Tessenderloum* exprimere voluerit. Sed ea res ne te turbet. quippe Græcus homo Marcellinus, Latinæ elegantiæ haud perinde (quod ipse fatetur in fine operis) gnarus *locum* vocavit Græca phrasi, quæ regio erat integra. Sic Strabo quoque lib. 7 de universo Bojohemo loquens, *in quem locum* (Maro boduus) *cum alios complures transtulit, tum populares suos Marcomannos.* Ibid pag. 13.7 Cap. 29.

RESPONSIO.

Quod in Aulularia ille dicebat, pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet, *idẽ de te dixerim, Cluvere. Nam qui sevvere adeo & contemtim Grãmaticos passim excipis atque aspernaris, hic ad eorum te subsellia abjicis : Vbi tamen vel maxime tuum erat docere* Toxandriam *in verbis illis Ammiani lib. 17*: Ausos olim in Romano solo apud Toxandriã locũ habitacula sibi figere prælicenter, Toxandriã *in quã ibi esse, quã nunc vocamus, Zelandiam. Quod ut antea præ-*

 fidenter

fidenter adstruxeras, ita nos Disceptatione 3 superius indicatâ, evidentibus documentis idem negavimus confutavimusque. Quo tu tamen omisso, incipis aliquid de Græca phrasi dicere, quasi vir ille doctus eam negasset, aut hoc præcipue hîc agi à nobis fuisset indicatum.

DE BATAVIS.

CLVVERVS.

Cap. 30. pag. 139. QVot & quantas aliena in scientia haud satis peritus author commisit errores:

RESPONSIO.

Hoc tuum est de innocentissimo & post Desiderium Erasmum apud Hollandos literatissimo atq; incomparabili viro Hadriano Iunio judicium. Nec potuit aliter, cum præsertim tu ille solus seculo sis reservatus, qui hîc sapiat, qui laudem & lauream mereatur; qui & præ te haud altum quemquam noveris, cui terra Batavia hactenus ob illustratam antiquitatem plus debeat, quã uni tibi, *ut ipse de te formularibus verbis ebuccinas infra sua loco repetendus. Claudam ergo hoc tuum de te elogium elogio comparis tuæ apud Martialem:*

Bella es novimus, & puella, verum est;
Et dives quis enim potest negare?
Sed cum te nimium, Fabulla, laudas
Nec dives neque bella nec puella es.

CLVVERVS.

Ibid. pag. 139. COmmẽtario de Rheni alveis ostiisq; adeo manifesto annis superioribus demonstravi

nimirum

(nimirum errores Had. Iunij) ut eruditissimus atque optimus quisque summo cum applausu id opusculum prosecutus sit.

RESPONSIO.

Quanto cum applausu illud tuum opusculum doctissimus atque optimus quisq; prosecutus sit, magis alios quam te referre æquum censeo; & eos maxime, qui illud non nisi alio titulo & latens sub inferioris Germaniæ Antiquitatibus hodie distrahunt. Est & inter cetera, penes me clarissimi cujusdam viri epistolium sive iudiciū potius de eodem hoc tuo Commentario & nostris adversus eundem Disceptationibus. Quod an videris ignoro; apponam tamen, sed absque nomenclatura. Divinandum relinquam. Fortasse si tu non poteris, alij saltem ex ungue agnoscent leonem. Ita enim habet:

DIsceptationes tuas Chorographicas, Pontane doctissime, Hagæ cum esse in Hollandiæ conventu accepi. gratias habeo pro elegātissimo munere, nec meo duntaxat nomine sed & Patriæ, cujus antiquitatem illustrasti, gloriam quoque tutatus es. Ego non dubito librum tuum verissimarum observationum esse plenum & merito retusam illius ferociam, qui in Hadrianum Iunium virum magnum aliosque de patria nostra bene meritos, tam hostiliter sibi incurrendum putavit. Vtinam ego aut aliqua in parte prodesse possem tuis utilissimis studiis, aut certe aliquo grati animi signo demonstrare quantum me isto munere devinxeris. Iam dudum est cum & ego explicaturus quæ de . . . . conscripseram, pleraque eorum, quæ tu nunc refutasti mihi refutanda sumseram: sed lætor ereptam mihi ejus laboris necessitatem à te qui idem tanto rectius præstare possis, quanto

tibi plus est ad eam rē & subsidiorum & temporis. Quod restat precabor tibi vitam longam, firmam valetudinem & corpus & animum laboribus indefessum, ut quam plurimum isto tuo ingenio ac diligentia summa inservire publico possis. Exemplar tuum Martiani remitterem tibi, si domi essem. Propediem ergo fiet. XXVI Iul. CIƆ. IƆ. CXIV.

CLVVERVS.

Ibid. vers. 55. DIsceptationes quasdam tumultuarias cōtra dictum Commentarium Musis invitis in lucem nuper protrusit.

RESPONSIO.

Hoc si esset, apparatum vidissemus tuarū resp̄osionum: qui nunc ex occulto & in vagum quadam aspergis nos nostraq́ vellicans, tantum, non convellens; ut dubium non sit, non tam Musis quàm Cluvero invito eas Disceptationes lucē aspicere.

CLVVERVS.

Ibidem. QQuod meū fuerit peccatum, statim in ipsa Præfatione profitetur, nēpe quia ego homo exterus Hollādo, vel ut ipse loquitur, Germanus Batavo hunc eripere plausum sategerim.

RESPONSIO.

Rhetoricæ te non imperitum indicas, etiamsi dissimulas. Nam id duntaxat ibi dici falsum demonstrat, qui est in manibus liber & Præfatio. Lector videat & legat, si tanti est, quæ habentur Præfationis nostræ paginâ 3. 4. & 5 usq́ ad ultimam paragraphum, Vos itaque. *Sed & statim huic rei quædam dicentur.*

CLV-

CLVVERVS.

(NEque enim sciebat Philosophus, Batavos & semper fuisse & nunc esse Germanos.) Ibidem.

RESPONSIO.

Quid audio? monstri simile. Nam Batavi etiamsi origine Germani sint, quatenus tamen intra imperij & Galliæ limitem fuerunt, nonne Germanis opponuntur? Quid? nonne sic ipse Tacitus libro historiarum 4; Tutor & Classicus & Civilis suis quisque locis pugnam ciebant; Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad prædam instigantes. *Nonne etiam & ipse tu Cluvere*, Batavos non Germaniæ, sed Galliæ fuisse partẽ *asseris integro Capite, quod numero est 35 lib. 2 Antiquæ tuæ Germaniæ? Ecce quam tibi semper similis sis, dum aut tibi aut veritati ubivis adversa loqueris.*

CLVVERVS.

Deinde privati etiã odij nonnihil accesserat. Ibidem.

RESPONSIO.

Quid privati odij? De Menapiorũ sedibus & Sala in Amsterodamẽsibus error notatus. *At illa Amstelodamensia post demũ Cõmentarium tuum edita; quod liquet vel ex ijs quæ sub calcem adjecta, quæ & tui Commentarij & errorum passim meminerunt. Ergo tu*

antequam edita essent illa Anstelodamensia divinare potuisti, quid de Menapijs tradituri eramus? Vides non simplici vice te hic impegisse & injurium fuisse, dum ea quæ nondum in publicũ prodierant & quæ per nebulam forte &, quod dicitur, fundo nec liquido satis acceperas, tamen in reprehensionem rapuisti? Cujusmodi tuam temeritatem ac præceps judicium an inclementer fictum putabis si producimus? Qui & ipse, ut jam patuit, huic choreæ præsultor fuisti.

CLVVERVS.

Ibidem. ID mirari licet. tantum placuisse, si non malignitatem, saltem calliditatem homini, uti, quæ satis firma satisque valida, nec refragabilia erant in Commentario meo argumenta, ea ne verbo quidem attigerit: quæ infirmissima ea selecta inani verborum strepitu convellere conatus sit.

RESPONSIO.

Nos quæ adversus Commentarium tuum intulimus singulis Disceptationibus præfixo titulo & argumento indicavimus: Atque hic non infirmissima, quod tu persvadere vis, sed quæ Achillea & maxime valida putabas, subruimus. Idque ita esse res ipsa loquitur; nec tu adhuc aliter commonstrare potuisti. Tuum enim hoc erat & hic præsertim. Logi ergo hæc tua sunt & venti folia.

CLV-

CLVVERVS.

BArbari ſane erat ingenij, homineque meli-oribus literis inſtructo minime dignum, hominem exterum, licet meliora ſentientem, tamen ob peregrinam originem ferre non poſſe. Ibidem.

RESPONSIO.

Non peregrinitatem tuam, non quod exterus ſis, ægre ferimus aut accuſamus; qui & veritatē ipſam, quam *(ut egregie ille dicebat)* ſcimus in terris fere peregrinā agere, *etiam è medijs ad nos delatam Cimmerijs amplecti ac magnificere ſumus parati; ſed temeritatem tuam, audaciam tuam & illam denique, qua in optimos quoſque gladiatoriè inveheris, animi tui ærugi-nem; qua & gloriam gentis, quam attollere videbaris, depreſſam iviſti, ut patuit tota Diſceptatione 43. Hanc inquam, aliaque ejuſmodi ferre non potuimus, nec etiam debuimus.*

CLVVERVS.

SEd heus tu, quamvis malignus maximē diſ-ſimulas, & invidiam mihi apud incolas ubique conciliare labores, tamen tute ſcis nemini terram Bataviam hactenus ob illuſtratam antiquitatem plus debere, quam mihi uni. Ibidem.

RESPONSIO.

Hoc me ſcire ais? Fortaſſe quia intra medium Rhenum, qui infra Lugdunū Batavorum, ut vis,

in mare excurrerit, non Batavos tantum, sed &, qui ibi nunquam fuerunt, Caninefates, à mari scilicet eosdem contra Tacitum segregans, in unũ compegeris; quia etiam ultra eundem medium Rhenum, omne Rhenanũ nomen deletum nec authoribus nominatum cõtra authores classicos pertenderis: & Drusi molẽ circa Durostadiũ contra aperta Taciti verba constitueris, & deniq; quia non Frisios tantum in insulis Rheni Plinio positos sed omnes in universum Frisios, majores inquam minoresq;, intra Flevum interq; Rheni insulanos aut coarctasti aut confudisti, deletis & expunctis, contra omnes tam cusos quã scriptos codices, quas ibi agnoscit & nominat, gentibus, Plinius. Hæc aliaq; talia tua facinora sunt, nobis non ignorata nec dissimulata, sed in Disceptationibus suis quæque locis, inter alia, discussa & confutata. Sane ferrea tibi frons sit, Cluvere, si neges, quod ad Batavos ceterosque illos Rheni populos, nihil te ὑγιὲς aut sani eo in Commentario attulisse. Verum audiamus porro adoreas tuas.

CLVVERVS.

Ibidem. NEc tu nisi per meum lumen, quidquam in eâ perspexisti.

RESPONSIO.

Præ Cluvero, ut video, fungi omnes sumus: illi soli, ipso judice, antiquitatem suã acceptam ferre debent Batavi. Ille facem præluxit; ille nisi

seculo obtigisset in tenebris & nocte versaremur. Talis scilicet tibi de te opinio Cluvere. Nec aliter judicare solet cæcus sui amor & Philautia. Nos quid? dictum jam initio nonnihil de hac tua periautologiâ, nisi & Plautini Pyrgopolinicis, gloriosi illius militis, characterismum lubet addere pugnas & victorias suas similiter deprædicantis. De quo M. Tullij aureum extat præceptum, nec tam chartis quam uniuscuiusq; inscribẽdum memoriæ: Deforme est, *inquit*, de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari MILITEM GLORIOSUM.

CLUVERUS.

Errores quidpe in prædicto Commentario nonnullos agnosco, quos tu non intellexisti, &c. ibidem.

RESPONSIO.

Ejusmodi etiam esse & tibi nota, nec animadversa nobis, aut magnopere perquisita, non ægre concedam. interea quæcunque ad rem, de qua agebatur, & authorum præsertim incolumitatem & gentis decus spectabant, quantũ in nobis fuit, haud omisisse existimo. Et est ejusmodi (ut de ultimo hoc tantum nunc dicã) quod cum in Cõmentario tuo cap. 18. Batavos omnibus illis, nationibus ac populis, qui in Gal. è Ger. migraverãt virtute præstare *fassus esses, mox eodẽ capite hujus quasi oblitus & ipsi tibi adversus aut alio nescio quo mentis motu incitus,*

eosdem meticulosos *facis*, quod nimirum *(sunt tua verba)* licet in munitissima Rheni insula satis tuti essent, Cæsaris potestati ultra cesserint: quod arma manusque cõtra ipsos parentes suos consanguineos Cattos ac ceteros Germanos Romanis cõmunibus Germanorum hostibus impie ministrarint: & denique (unde major illis pudor) quod in quantum Germani, ab acri illa Germanorum libertate degenerarint. *Hæc sunt Cluvere, præter alia jam aut dicta aut dicenda, quæ & vidimus nos & intelleximus & notavimus Disceptatione 43, & nunc prudenter à te nostris monitis aurem quodãmodo commodante vel mutata vel omissa etiã videmus & intelligimus.*

Erraße *autem quod* tecum me ais, *nihil mirum si fortaße tot cum erroribus tuis colluctãtem idem torrens à recto abripuerit. Quamvis de eo ipso, quia nullum in tuis indicium occurrit, sicuti nec eorum, quæ tuis verbis citare me ais, ampliare constitui. Nisi forte ejusmodi esse vis quod de* Lugduno Capite Germaniarum *memoratum, re haud tanti, nec ad rem magnopere pertinente: ampliandum itaq; existimo.*

CLVVERVS.

Ibidem. DOctiorem me avitarumque antiquitatum peritiorem te si monstrare voluisses, alia haud pauca, quæ me etiam ante hac latuerunt,

quæque

quæque nunc demum secundis hisce curis addidi, investigare debuisses.

RESPONSIO.

Quid Cluvere, tene etiam aliquid latuit? quid autem latuit? An, inter cetera, Dionis locum & verba intelligis? qua ad eum nunc modum, uti à me Disceptatione 7 pag. 22 item Disceptatione 41, pag 163 enodata atq; explicata sunt, producis atque explicas, nostri nulla mentione addita; Antea enim haud leviter hic æstuabas, Dioni citra omnem curam diligentiamque ea prolata *immerenti objiciens. An vero Salam vis dicere, Isalam, ut nos docuimus Disceptat. 31 pag 124 & Iunius Bataviæ suæ cap. 9, modò intelligens? Aut potius* Batavîæ *nomen? quod falso antiquis autoribus adscribi adserebas cap. 3 tui Commentarij, nunc vero non Zosimo tantum sed Dioni quoque usurpatum asserens, pag 141 lib. 2 antiq. Ger. ceteraque quorum jam ante alia relata alia adhuc loco suo referenda. Effari debebas & aperire animi tui latebras: Nam & hæc fugisse te aut contradixisse prius & à nobis exinde in Disceptationibus satis clarè tibi indicata, haud potuisse te latere nullum est dubium.* Vide & infra ad pag. 141.

CLUVERUS.

Verba & sententias per dolum dimidiatas, non integras allegare. ibidem.

RESPONSIO.

Vbi id nos fecimus Cluvere? Demonstrare aut

non

CLVVERVS.

QVæ ſane verba auctor (Dio) citra omnem curam diligentiamque protuliſſe videbatur (quid enim hoc eſt dicere? *Batavi ab inſula Batava dicti ſunt, quia equitandi arte pollent*) nî interpres ejus Guilielmus Xylander docte ſciteque oſtendiſſet, pro ὅτι legendum, οἱ. Ibidem pag. 141.

RESPONSIO.

Hîc etiam ut fucus & crypſis tua pateant, adeunda Diſceptationes noſtræ ſeptima & 41; illa pag 22, hæc pag. 163. Ibi lector reperiet, non Xylandri ſed noſtram hanc eſſe emendationē: Et ubi tu quæſo alibi, quàm apud nos & in noſtris Diſceptationibus aut ubi apud Xylandrum hanc legiſti, uſpiā Cluvere? Nos enim indicavimus, quod te latere non potuit, Diſceptatione jam dicta 41 pag 163, non incommode ad ſenſum genuinum tranſlatum eo loci à Xylandro Dionem, emendationem autem οἱ pro ὅτι noſtram eſſe. Sane apud Xylandrum legiſſe nuſquam memini. Sed tu licet è Diſceptationibus noſtris ſatis jam hoc perceperas, tamen agnoſcere & confiteri nigræ loliginis ſuccus impediit.

CLVVERVS.

INterim adverſarij retundantur tela, quibus hanc ſententiam infeſtare conatur. Ait igitur, quia Strabo tradit, à Rheni Oſtijs conſpici Cantium Britanniæ promontorium, neceſſe eſſe, multum ab hoc Batavorū littore maris inundationibus perijſſe; Cæſaremque, ibid. pag. 143. v. 13.

non

non universæ insulæ longitudinem, sed spaciũ præcipue inter Mosam, quà Vahalim influit, & qua Oceanum ingrediebatur, signare voluisse. Egregia sane ac tanto Chorographo haud indigna opinio. Ergo XL amplius milia passuum ab hac ora perierunt? Quis hoc jam credet Iudeus Apella? Adeone totum te sibi mancipavit Strabo, uti etiam maxime ridiculis ejus erroribus patrocinari non erubescas? Adde tamen si lubet XL illa tua millia Mosæ ostio, an ideo statim conspicies Britanniam? Haud putem, nisi plus quam Lynceus sis. Sed Straboni unde hujusmodi errores sint nati, supra in Menapiis ostendi. Conspiciebatur scil. insula ab eo loco, unde naves solvebant, id est, ab Icio sive Gessoriaco portu. hunc ille per errorem circa Rheni ostia esse credidit: ut dicto loco ostensum est. Insulas in Frisico littore easdem fuisse jam Augusti Cæsaris ætate, quæ hodieque conspiciuntur, infra in Frisijs, etiam ad ruborem tuum evincam. Hæ igitur salvæ cum manserint, nisi quod latiore altioreque freto nonnihil nunc abrasæ, quomodo XL millium passuum ora circa Rheni ostia perijt? Apage sis cum istis nugis. De Mosæ & Rheni cõfluente, quam falsa ex Cæsare adferas, supra in Treviris jam dudum ostensum est, pluribusque infra patebit.

RESPONSIO.

Huc referenda Disceptatio quæ est octava pag. 24. Ubi difficultates indicavimus de longitudine insulæ Batavicæ ex authorum dissensionibus ortas, tentatâ obiter eorundem conciliatione. Nam

cum

cum Cæsar passus tantum MLXXX, *Plinius verò integro admodum seculo Cæsare posterior, prope* C. M. *pass. attribuat, monuimus debuisse Pliniũ, ut pote Cæsare tanto posteriorem, potius minorẽ quam majorem insulæ longitudinem posuisse, ob lubricam ejus littoris rationem, quod ab Oceano perpetuo adeditur atque eluvionibus dissipatur, Cæsaris idcirco* M. LXXX *passus non ad longitudinem universæ insulæ, ut Plinij, sed præcipue ad spatium inter Mosam, quà Rhenum influit, & qua Oceanum ingrediebatur, referendos: idque innuere etiam Strabonis verba, qui Cantij promontorium apud Rheni ostia cerni potuisse asseruit: ut ita aliam omnino Batavici littoris faciẽ & longe, quam hodie, versus occidentem porrectiorem fuisse olim, optimo jure colligendum indicaverimus. Sed occurrere voluisti quærens an ergo* XL *amplius milia passuum perierint. Quod exacte definire, post sedecim, & quod excurrit, annorum secula, cujus erit? At ridiculus est, inquis iterum, Strabonis error, & cui auscultare nequaquam convenit. Id tu quidem confidẽter satis; & demonstrasse te etiam putas; sed quã tibi ipsi somnia fingas, quamque putidissimi erroris te ipsum reum facias, dum ad eum locum castigandum præceps raperis, supra in Menapijs luce meridiana clarius demonstratum est. Quod autem addis easdem in Frisico littore insulas esse quæ fuerunt tempore Augusti; ideoque nec de Batavico littore* XL *millium passuum oram deperijsse;*

rysse; ecquid id quaso in tuam rem concludit? Nā dicere aliquid nunc esse quod fuerit Augustao avo, nō est demonstrare quod erat demonstrandum, quodq; hucusque seriò pertendisti, nihil de littore Frisico decessisse, nullas oras aut insulas deperditas, omnia eadem ut olim manere, salvaque esse, nisi quod latiore altiore que freto nonnihil nunc abrasum. Quid hisce tibi vis Cluvere? Quid? nisi patefacere omnibus pervicaciam tuā & quod atrum est, candidum asserere. Conferat cum his lector, qua de littore Frisico allata Disceptat. 32. Quibus & alia mox addenda. De Rheni & Mose confluente supra in Treviris, itemque Disceptat. 9 satis superque dictum nec à te nisi verba adhuc reposita tute non ignoras.

DE LATERIBVS INSVLÆ BATAVORVM.

CLVVERVS.

Cap. xxx1 Pag 146. vers. 24.

CEterum lacus seu paludes, quæ inter Geertrudenbergam & Dordracum dictasque insulas funduntur antea nullas fuisse, sed solidam humum certos amnibus præbuisse alveos quamvis satis ex jam dictis perspicuum sit, nec ulla alia ratione egeat: tamen inde etiam colligi pōtest, quod nulla lacuum vel paludum ab hac parte apud veteres auctores exstet mentio. Lacuum, qui ad Septentrionem sunt, vulgari nomine de Suyder See, meminit frequens Tacitus

citus & Plinius quoque diserte Rhenum in eos se spargere tradens: At hic idem Rhenum ab occidente non in lacus, sed in Mosam se spargere testatur.

RESPONSIO.

Ingens illud, quod est inter Gertrudebergam & Dordracum internum mare & lacus, eluvionibus maris factos concedis: & negas interim ipsum versus Oceanum littus, damna similia passum. Quod quomodo potest? Nam si soli utriusque rationem videas; omnia eadem, fluxa scilicet & lubrica: si veterum memorias; diserte te confodiunt. Plinius enim nonne hic Helium *agnovit, occiduum nimirum Rheni ostium? At hodie ubi est Helius? Brittenburgum quoque quis antiquitus fuisse neget? nunc vix vestigium est reliquum. Et adde his quae ex Annalibus patriae, quaeque majorum memoriâ nostraque aetate circa idem littus Disceptat. 8 indicavimus aut immutata aut eluvionibus deperdita, & vastum nunc mare esse ubi delubra olim stetêre. Ecce quibus te magis magisque innectas pedicis. Verum addis porro*, Lacuum, qui ad Septentrionē sunt vulgari nomine de Suyderseе, meminit frequens Tacitus & Plinius quoque, Rhenum in eos se spargere tradens. *At lacuum ibi nomine Borealem tractum intelligi ex Plinio diserte constat, qui ait* Rhenum *seu Isalam* in lacus se spargere à Septentrione. A Septentrione *videlicet, quod à te studio omittitur,*

non à meridie, ut intelligatur, qui nunc ibi est lacus, antiquitus, Plinij puta & Taciti ævo, haud talem fuisse, sed eruptionibus Oceani & Rheni inundationibus, quemadmodum ille intra Dordracũ & Gertrudenbergam, paulatim accrevisse & natum esse, ut monstravimus historicorum & Chronologorum certis documentis Disc. 24 & 25. Quæ tu omnia alto silentio & quasi indicta prudens præteris. CLVVERVS.

Ibid. pag. 148. v. 3. QVod (*fecerat* scilicet in verbis Taciti) plusquã perfectum tempus notare maligne & callide dissimulavit chorographus adversarius noster verbumque Plinii *spargit*, quod ille de Flevo & Vahale protulit, nescio qua ratione hic ad Lugdunensem Rhenum traxit &c.

RESPONSIO.

Vt res intelligatur, utrumq; & Taciti & Plinij locũ adscribam: Taciti hist 5 ita habet: Sic veluti abacto amne tenuis alveus insulã inter Germanosq; continentium terrarum speciẽ fecerat. *Plinij lib. 4 cap. 15 ita:* Itá appellantur Ostia *(Helius nimirum & Flevus)* in quæ effusus Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnẽ Mosã se spargit, medio inter hæc ore modicũ nomini suo custodiens alveũ. *Quorũ in priori, id est, Taciti loco, ubi ego aut aliquis dissimulare potuit verbũ* fecerat *esse plusquam perfectum, cum ex Tacito cõstet, quomodo & Disc. undecima indicatũ, a Civile, id est ante Tacitũ, eam abactionẽ factam? sed aliud erat, quod eadẽ Discep. agebatur, à te studio præteritum, ne error & ulcus hoc tuũ refricaretur,*

nimirũ nihil a Taciti mẽte eo loco esse alienius, quâ quod tu volebas, eam scil. abactionẽ circa Durostatum celebratam; cum, ut eadẽ Dis. diserte ostẽsum, supra Vahalim a parte Galliæ, sit facta: ubi & diruit molẽ a Druso Germ. factã Rhenumq; (*ut loquitur ibidẽ hist. 5 Tac.*) prono alveo in Galliã (*per Vahalim scil.*) ruentẽ disiectis, quę morabãtur effudit *Civilis, additâ aliâ ex adverso fere, a parte Germ. magnæ*, cujus objectu revolutus amnis, *versus Vahalim agebatur; sicq;* abacto *versus Gallias* amnẽ tenuis alveus insulã inter Germanosq; continẽtium terrarum speciẽ fecerat, *ut habẽt verba Taciti pro parte jam modo etiam citata. Vt ita tenuis is in verbis Taciti* alveus, *cum subitus & momentaneus fuerit, nequaquam ad sequentẽ, ut tu præterea vis, Plinij l. cit, in quo* medium os modicum nomini suo servare alveum *dicitur, pertinere queat: cum ob alia, Disc. 11 & 12 necnõ Coronide earundẽ indicata; tum quia Plinius nõ ad ætatẽ Civilis, & quid ante se factũ sit, respiciat, sed statum amnis cursum & cujusmodi sua ætate fluebat, exponat: Quapropter etiam (ut jam eò, seu ad alterum, quod objicis, veniam) ait;* Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidẽte in Mosã se spargit custodiens medio ore modicũ nomini suo alveum. *Vbi vides verbũ* spargit *præsens tempus tam medij oris & alvei quam Mosæ & Flevi aspectu indicare, quia additur* custodiẽs. *Atq; ita satis jam detectam tuam crypsin & tenebras dispulsas existimo.*

Interim denuo lectorem monitum velim Disceptationes nostras 10. 11. 12 cum earundē coronide pressius inspicere & cum his cōtendere ne degravetur. Nam ibi & presertim 10 Disf. evidenter fuit demonstratum bifidam apud Tacitum Rheni divisionē non de Vahali & medio Rheno, ut vult etiamnum Cluverus, sed de Vahali & extimo Boreali versus Germaniam, accipiendam. Ad quæ adhuc responsum ille debet. Sed & sequens jam Disceptatio huc quoq; haud parum faciat.

CLUVERUS.

Ibid. v. 18. NAm ubi is ad Duroſtadiū incipit, Rhenus lato alveo fluere deſinit, manifeſto argumento prope Duroſtadium in lævaRheni ripa, molem à Druſo olim excitatam fuiſſe: quam Iunius ad Druſi foſſam, quæ eſt inter Arnhemum & Dusburgum fuiſſe ingenti errore indicavit. Quem errorem licet adverſarius noſter defendere haud modice laboravit; tamen argumētum iſtud convellere ne verbo quidem tentavit. Noſtra ſententia tū maxime contra ejus objectiones firmabitur, quum infra probatum fuerit medium Rhenum qui perpetuo id nomen ſervavit, terminum fuiſſe inter Galliam & Germanos. Nam omnia ejus argumenta totumque adeo ſcriptum eo uno nituntur, quod recte ſe putat cum Iunio Iſalam & Flevum lacū terminum ſtatuere inter dictas duas gentes. Hoc igitur fundamento ſublato, reliqua etiam ei ſuperſtructa corruent. In eo ſane hic rerum ſatis imperitum ſeſe oſtendit, quod ait *novos facere*

cere alveos, non abactionis, sed fossionis rem esse. Pueri agrestes in patriâ mihi terrâ meliora docuissent: qui fere quotannis tale quid vident in fluminum eruptionibus.

RESPONSIO.

Quod Drusi molem exstructam fuisse ad eam, quæ est inter Dusburgum & Arnhemum, fossam, cum Had. Iunio me ais defendere, si tu vel levi indicio ex Disceptationibus nostris probare potes, causâ hac totâ cadam. Imo è diametro nos contrarium docere ac docuisse diserta nostra in Disceptationibus verba sunt. Disceptatione enim 12 hæc habentur: Vnde & hoc colligendum molem istam nequaquam cõstitutam, ut jam modò ostendimus, & vult Cluverus, infra Vahalim circa Durostadium; aut circa fossam Drusi, seu ut nunc appellamus, novam Isalam (quomodo tamẽ accipi plerisque & Iunio quoque video) sed à parte continentis Galliæ, paulum supra Vahalim seu principium agri Batavici, ubi in duos scilicet amnes Rhenus dividitur. *Quid dici manifestius potuit? nõne enim nominatim reijcitur & improbatur Iunij opinio? En qualem te nacti antagonistam, qui cum veris nos armis impetere non queas, calumnijs, mendacijs & falsiloquijs aggredi non erubescis. Hoc enim impugnare tuum erat, non fuisse scilicet eo loci, quo nos asserimus, eam Drusi molem. At tu*

hoc nusquam facis, sed ejus loco insignita hac calumnia nos impetis.

Videat jā & conferat lector cum hisce omnibus Disc. 10. 11. 12 & ÿs adjunctā Coronidem: Ibi, præter cetera etiam illud intelliget, quā iste noster adversarius in Taciti libris, quos tamen assidue crepat, tiro & peregrinus sit; qui ignoravit nō tantum Drusi molē, quam circa Durostadiū colocat, fuisse supra Vahalim, sed ei quoq; ex adversa aliā à Civili in ripâ Germanicâ excitatam, quæ demū, dirutâ Drusianâ, effecerit ut vis & impetus omnis Rheni versus Vahalim & Gallias veluti abactus prono alveo *ut loquitur Tacitus, profluxerit. Nā antagonista hic noster hæc omnia invertit & obnubilat: Nec, uti ex Tacito jam diximus,* prono alveo, *sed* novo alveo, *audet interpretari* in Galliā ruentē Rhenum effudisse *Civilē, & deniq;* in Galliam, *quod habet idem Tacitus, vult esse,* in mediam insulā Batavorum: *at nimirū hoc pacto cōmentum suum* de mole Drusiana circa Durostadiū *aliquo colore cōmendaret atq; imprudentibus persuaderet. Quod tamē nec ab ÿs qui alias etiam errantē sequuntur, obtinere hactenus potuit. Nā & P. Bertiū in Cōmentario rerum Germanicarum ab eo hic δις διὰ πασῶν dissentire nostrasq; in partes cōcedere idem Commentarius ostendit.*

Quo ergo clariora hæc sint, constetq; nihil esse absurdius & à re ac Taciti sensu magis abhorrens quā quod Cluverus cōmentus est de mole Drusiana

circa

circa Durostadium; apponam ordine loca & verba ipsa Taciti huc proprie pertinentia. Primus locus est histor. 5 his verbis: Quin & diruit *(Civilis)* molē à Druso Germanico factā, Rhenūq; prono alveo in Galliā ruentē disiectis quę morabantur effudit. *Vbi notari primo debet audacia & corruptela, quam innuimus Cluveri nō* pronū, *sed* novum alveum *hic accipiētis. Ita enim ille adhuc pag. 146 v. 14 l. 2 Antiquæ Germaniæ:* Ceterum novus ille alveus, in quē Civilis Rhenum effudit, nullus alius est, quā qui nunc Lecca. *Nec tantū* novum *ex* prono *cōfingit, sed ubi Tacitus dixit* Rhenum prono alveo ruentē in Galliā à *Civili* effusum, *ille vult verbaq; auctoris cōmutat, quasi Civilis Rhenū per mediam insulam Batavorū in novū quendā alveum effudisset. Quid est bonis auctoribus & veritati vim facere, si id nō est? Deinde si, quod solum aspexit Cluverus, diruta tantū fuisset hæc Drusi moles (quæ ut jā & antea Disc. 11 ostensum, nō circa Durostadiū, sed supra Vahalim a parte Galliarū fuit), quid nisi vetus flexus fluxusq; obtigisset amni aut redijsset potius. At cum ex adverso à parte, ut diximus, Germaniæ magnæ ante eam molē dirutam, cōstituisset aliam Civilis, necessario vis & impetus fluminis, dirutâ mox hac Drusianâ, prono alveo veluti abactus versus Galliam & Vahalim revolvi habuit. Hoc autem eum in medium à Civili antea curatum ex eodē Tacito Histor. 5 hisce liquet :* Addiderat Ci-

vilis obliquum in Rhenum molē, cujus objectu revolutus amnis, adiacentibus superfunderetur. *A parte vero Germaniæ eam fuisse patet ex ipsis quoque, quæ sequuntur Taciti verbis, hisce nimirū:* Simul è mole, quā eductā in Rhenum retulimus, Bructerorū cuneus (in ripam Gallicā) transnatavit. turbata ibi res. *Romanorum nimirum: Qui deinde transfugæ suggestione adjuti, pepulêre vicissim Germanos & Rhenum repetere coegerunt. Civilis non ausus tueri oppidum Batavorum, raptis quæ ferri poterant, ceteris injecto igni, in insulā concessit, prius scil. diruta illa Drusi mole. Ita enim continuo Tacitus;* Quin & diruit molem à Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentē disiectis, quæ morabantur, effudit: sic velut abacto amne tenuis alveus insulā inter Germaniasque continentium terrarum speciem fecerat. Fecerat, *nimirum diruta illâ Drusi mole; & vim atque impetum Rheni versus Galliam & Vahalim cogente Civilis mole, quæ erat ex adverso superius paulo in ora Germaniæ, è qua, ut dictum ex Tacito, Bructerorū cuneus, integrâ adhuc re, transnatarat. Atq; hæc collata additaque Discep. nostris superius indicatis nec nō earundem coronidi, sufficere puto ad diluendum dispergendumque id omne, quod hic, veluti sepia, suffundit lectoribus atramentum Cluverus.*

Postremo quod novos alveos *abactione flu-*

minum fieri, idque quotannis ab agrestibus & suis conterraneis, etiam pueris, observari contendit, sane jam unus Vistula, qui prælabitur urbem ejus natalē Dantiscum, quam multos, tot abhinc annis, novos alveos amnesque hoc pacto dederit! Sed vana hæc tua & nugas esse Cluvere, jam modò & in Disceptationibus satis monstratum atq; iterum iterumque nobis indicatum, Tacitum non novū alveum, *sed* pronum *agnoscere, quo* in Galliam *seu Vahalim* ruens Rhenus effusus est. *Interim ut ingenuitas etiam tua hic notetur, nequaquam nos, ut tu interpretaris, in Disceptationibus scripsimus,* novos alveos facere esse simpliciter non abactionis, sed fossionis rem: *Sed ita verba nostra habent Disceptat. 11 pag. 30 vers. 21:* Alveos novos facere non abactionis, sed fossionis præcipue res est. *Vbi vides fraudulenter omissum a te vocabulum, quod maxime hîc locum habet,* præcipue. *Nam eo posito, non negatur etiam abactione, si soli ratio & fluminis flexus ceteraq; respondeant, posse novos fieri alveos; sed præcipue fossione hæc peragi innuitur, docentibus id, inter alia, nostris in oris Romanorum operibus Drusi & Corbulonis fossis.* Histor. 5.

CLVVERVS.

SEd de Corbulonis fossa hæc sufficient, ni adversarius obloquutus fuisset, nomen id præfracte, ex Ortelij sententia, ad Leccam trahens. adeo scilicet nugas omnino putat esse, quidquid Tacitus de XXIII millibus passuum & Dio Ibidem pag. 149.

de CLXX stadiis testantur. Ad firmandã tamen opinionẽ suam id argumẽti adducit, quod fossam illam **Vliet** nuperum esse opus civitatum actis & attestantibus indigenis demonstrari queat. Verũ video quo tendat. Habeoque quo calliditati ejus obviem. Illam fossam, qua hodie eodem nomine **Vliet** ab ipsa urbe Leida navigia Delftũ versus exeunt nuperi esse operis nec ego ignoro. At hanc ego non volui. Sed illam, quæ stadio circiter ab urbe dissita, vulgari vocabulo **het oude Vliet**, ex Rheno in prædictã fossam Delftum versus ducit: hoc verum aio esse initium veteris fossæ Corbulonis, illã verò fossam ab urbe Leida ad vetus usque Fletium esse nuperam. Adde jam huc & illud non leve sed gravissimum argumentum, quod Tabula itineraria habet inter *Tablas* & *forum Hadrianum*, id est, ut nunc loca ista vocantur inter *Ablas* & *Foorburch*, locum Fletionẽ qui aut in ipsum Delphtũ aut saltẽ in productã fossam incidit, ut infra ostendetur. Tabulam igitur itinerariam, quum nuperi esse operis adversarius probaverit à fossæ hujus antiquitate libens recedam.

RESPONSIO.

Quam præfracte nos Ortelij sententiam tueamur verba nostra in Disceptationibus ostendunt, & præsertim pag 40 Discep. 13 statim initio ista: Corbulonis fossam eodẽ superius Capite quærit Cluverus; sed quærit nõ invenit. Nã affirmare hæc talia authore nullo vel locũ vel chorographiam certam indicante, abutentis otio videtur. *Et ibidem pag 41:* Quæ *(verba nimirum Dionis)* si accuratius attendantur collata

lata cum rerum ac temporum tanta vicissitudine, tū & solo Bataviæ adeo depresso & fluxo cur non liquere hæc nobis ab authoribus præsertim ità obiter & perfunctorie memorata, merito dicamus? *Et statim ibidem:* Deinde Orteliū, qui Leccam retulit, quamobrē summo & multiplici errore obstrictum Cluverus dicat causam aut rationes magnopere nō video. Nā ibi circa Leccā, quanta Oceani æstus dāna jā olim dederit res & annales patriæ loquuntur &c. *Ex quibus judicare jā quivis potest, quā nos hæc præfractè; vel potius an non arguantur à nobis qui hîc præfractè agūt. Tu nihilominus post hanc calumniam, denuo hæc repetens aliam nunc, quàm in Cōment. de tribus Rheni Ostijs, opinionē tuam adducis, & veram vis esse Corbulonis fossā, quæ stadio circiter ab urbe Leida dissita vulgo* het oudt Vliet *appellatur. Verum ea omnia cum mediterranea sint, nec ad Oceanum ejusq; fluxum ac refluxum spectēt; nec, ut habet Tacitus, Oceani incertis vetandis sint idonea; aut, ut Dio, ne Mosa & Rhenus, æstuante Oceano, refluētes restagnarēt inhibere possint, præter rem adducuntur; Sicuti & illud de Fletione ex Itineraria tabula. Nā hujusmodi etiam antiquitus fuisse, vestigia & quæ hodieq; usurpantur vocabula, ut* Heckvliet/ swartvliet *in insula Holl. Vornēst; & prope ipsam Gaudam* T'vliet/ *satis evincunt. At inde velle colligere* Fletionē *eo loci esse banc fossam Corbulonis* Annal. 11. Lib. 60.

quomodo

quomodo admitti potest? Videat etiam lector epistolam ad nos maximi viri, cujus exemplum positum in Originum Francicarum lib. 6 cap. 11: Vbi pag. 482 hæc leguntur, huc proprie pertinentia: De Mosæ cursu, de fossa Corbulonis deque aliis multis ejusmodi habeo, qui Cluverium refellam, nō conjecturis profecto, sed publicæ fidei documentis. Mirū sane si à Corbulone facta est fossa quæ Roterodamum ducit, quam nos scimus ante annos quadringentos non exstitisse.

CLVVERVS.

Cap. xxxii pag. 151. DEfensor Iunij adversarius noster, quamquam ne verbum quidem habuerit, quod his opponeret, tamen ne omnino convictus esse videretur, Disceptationem quandam, quæ numero est 14 pro Iunio, tentavit, non dicam rationibus, sed ipsis verbis adeo frigidam ac miseram, uti hominem otium ferre nequivisse satis perspicias.

RESPONSIO.

Qui disceptationem eam leget, Cluvere, ille sane deprehendet te cum Iunij larva luctari; & jure merito atque optimis rationibus eo loci à nobis ipsum defensum. Nam Iunius postquam professus esset quænam esset vera Batavia, aliam illā ait se cum bona legentium venia, *sunt ipsissima Iunij verba*, Plinianam vocare. *Quod* Cap. 3 Bat. *licet ipse non ignorares, silentio tamē præterijsti,* quò

quò occasio tibi esset in optimum virorum incurrere. Imo & Disceptatione illâ 14 de eo à me monitus tamen ad saniora te recipere nec nunc quidem voluisti, sed surda hac aure prætervectus etiam hanc lectori crambem reponẽdam putasti, ne scilicet deesset quo miseras chartas vasti istius operis impleres. Quin & eadem Disceptatione alia tua in eundem Iunium detegitur fraus & calumnia post allata de Batavis & Batavorum insula è Tacito & Sozimo argumenta; ad quæ, si veritatis tibi aliqua fuisset cura, omnino respondere ac disquisitionem modestam instituere mecum debuisses: sed tu solemne tuum servare, hoc est, ingenij tui vires exerere calumniando de novo & convitiando maluisti, ita nimirum hac operâ defuncturus facilius. Sed lector benevolus, nisi grave sit, ipsam disceptationem jam indicatam adibit, ibi reperturus quod dicimus.

CLVVERVS.

AD hæc atque talia respondisse chorographum adversarium oportebat, non levia cavillatum esse. Ibid. pag. 152. v. 52.

RESPONSIO.

Ad hac & talia à nobis in Disceptationibus & præsertim 10 responsum esse tutemet nõ ignoras, Cluvere, & audivisses nisi ad vocem veritatis aures obsurduissent tuæ. Nonne enim diximus Tacitum, cum inquit Annal. 2: Rhenus uno

implevit, quomodo nomen Rheni custodiat? Ad hæc talia respondisse chorographum oportebat, &c. *Respondemus, primo quod ad Melam, vel, ut rectius dicam, respondet pro se ipse Mela, dum enim dicit*, Rhenum Flevum *dictum, ubi campos implevit, tamen addit, iterũ fluviũ emitti. Ait enim*: fit iterũ arctior iterumq; fluvius *scilicet Rhenus*, emittitur. *Jam Plinius nonne diserte etiã, modò verba ejus integra inspiciantur, idem dicit? Ita enim ille lib. 4 cap. 15*: in Rheno ipso prope C M. pass. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum (seu *Vriorum*) Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellantur Ostia in quæ effusus Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit. *Vbi ait effundi Rhenum Ostio Flevi, id est, ut dixerat etiã Mela, post lacus, in quos se sparserat, iterum arctiorem factum iterumque fluvium, Rheni nomine emissum. At inquis, ubi ingens lacus & jam non amnis, quomodo violentiam cursus servare quivit? servare quivisse præsertim tum cum inter Staveram & Enchusam non esset tantum spacij, & hodieque haud obscure servare vel vada demonstrant citusque defluxus & refluxus, qui est præcipue intra alveum, qui & notis ideo ac certis supra undas eminentibus signis ad vada eadem*

vitanda

vitanda alveoque insistendum, præmonstratur navigantibus. Vnde & hodieque adhuc nonnulli pinaces hydrographici ipsum eo loci alveum, vocabulo vernaculo De Kil *dicentes, indicare consueverunt. Sed & observandum hic, cum Tacitus hac parte versus Boream in Oceanum Rhenum deducat non meminisse semper lacuum. Præter locum qui nunc est in manibus, id liquido præterea ostendit & alius 13 Annal. ubi similiter continuo tractu ad Oceanum usque septentrionalem, quamvis lacus non nominentur, deducitur Rhenus hisce verbis*: Vetus Mosellam atque Ararim, factâ inter utrumque fossâ, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ per eam fossam mox fluvio Mosellâ in Rhenũ, exin Oceanum decurrerent. *Vbi verba illa,* mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum, *de Rheno & alveo hoc Boreali (ne quis forte aliorsum trahat) accipienda, quod sequentia statim indicant, quæ ita habent*: Sublatisq; itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis & Septentrionis littora fierent; Occidentis *scilicet* littora, *dum copiæ per mare mediterraneum, dein Rhodano & Arare subveherentur*; Septentrionis *autem, dum per Rhenũ atq; inde in Oceanum Septentrionalẽ descenderent. His addi debent quæ in Disc. chorographicis ocurrunt pag. 113, 114 & 115. Itemq; Disceptat. 10 & alibi non uno loco.*

DE

DE CANINEFATIB.

CLVVERVS.

NVgetur contra hæc, quidquid velit adversarius: nunquam certe subvertet. Adeone putat supinum fuisse diligentissimum auctorē, uti nec nomen, nec situm insulæ addiderit, si alia fuit, quam Batavorum insula? Cap 33. pa. 157.

RESPONSIO.

Hoc fere in more tibi positum animadverto, Cluvere, ut ubicunq; in hisce tuarum responsionū latibulis res & argumenta, quæ reponas, quam maxime te destituunt, ibi vel maxime desævias ac stomacheris verbaque effundas injuriosa. Est scilicet hæc vis veritatis, quæ ut odium, ita & bilem atq; iram suo adversario concitat. Notaveramus ad Caput 12 tui Commentarij Disc. 21, opinionē tuam, quæ totam eam Borealem Rheni ripā, à Batavoduro Leidam usq; & quidquid præterea introrsum est, Caninefatibus tribuit, locum habere haud posse; cum agri Batavici hoc pacto præcipua propemodum portio & robur, quod ad Rheni medium alveum & portuum interiorum ac trajectionum oportunitatem, Batavis eripiatur: & neget Tacitus, qui partem quidem insulæ Caninefatibus concedit, sed numero & potentia à Batavis superari addit: Deinde & mari, quo Batavi à fronte ambiuntur, proximos imo & accolas facit, cum eos classem Britannicam

quæ legioni Romanorum quartæ decimæ auxilio adversus Civilem venerat, aggressos dicat, majoremque navium partem & depressisse, & cepisse: tuâ autem finitione, qui Durostadio & Leida eos circumscribis, ab Oceano in universum excludi. Hæc notaveramus dicta disceptatione aliasque præterea rationes & argumenta adjeceramus, quæ tu omnia sicco pede prateris, quasi indicta: tantum injuriantia quædam & grandia verba, solenne tibi carmen, præmittens quæris, an adeo supinum fuisse Tacitum putem, ut nec nomē nec situm insulæ, quam tenuerint Caninefates, addiderit, si alia fuit quā Batavorum? *Qui Tacito aut Cæsari alijsque magnis auctoribus supinitatem objiciat, tu videris: nos interea firmiter negamus eos terminos, quos tu designasti, competere Caninefatibus, ob rationes jam indicatas: Deberi illis, juxta Tacitum, præter alia, Oceani latus, quod & hodieque accolere non modò Kennemerlandos, sed & proxime eosdem ad Caninefatum appellationem accedere videmus; esseque adhuc intra Rheni medium Plinio os modicumque alveum versus Egmondam, quod arctatum seu modicum alveum atque os nostrate etiamnum idiomate diserte significat. Verum hæc talia, quæ domi tuæ non nascuntur, nugæ tibi sunt.*

Quod itaque eodem porro capite pag. 159 ais: hoc saltem bene quod partem Caninefatum in Batavorum insula, quæ cis medium

medium Rhenum erat, agnoscis: *Agnoscam quidem cis medium Rhenum, sed non illis, quas tu imaginatus es sedibus interioribus, in ipso scilicet Batavię gremio: Diximus enim modò, & ante quoq;, quod te latere non potuit, etiamsi dissimulas, Disceptat. 20, intra arctatum illum & modicū alveum oris medij, quod* **Egmondt** *vernacula adhuc voce appellatum illo tractu visitur, adusque Oceanum Kinnemerlandos contineri. An autem partem tantum illam insulæ, aut ultra etiam aliquid soli pòssederint quemadmodum Batavi ipsi, qui præter insulam, etiam ex continente laciniam tenuerunt, quod exacte dicam, non habeo quamvis sint qui asseverent, ulterius extendentes. Et ut exitus medij oris hic potius quam circa Catvicum fuisse vero non absimile sit, uti patuit ex Disceptatione eadem 20, ità & alveum ipsum medium infra statim Rhinoburgum horsum quoque fluxisse consentaneum videatur. At ibi, inquies, alvei vestigia nulla? Respondemus nec versus Catvicum alvei ullius vel volam vel vestigium apparere; adeo ut modicus cum fuerit tempore Plinij, lapsu exinde seculorum esse obturatum credibile habēdum. quāquam quod & alibi innui, rem longo ævo obliteratam & nullis authorum veterum testimonijs liquido explicatam in medio malim relinquere.*

Sequitur hinc in verbis tuis: Miror sane Iunium Hamrodiumque adeo te infatuare potuisse, uti una cum ipsis Batavorum

insulam ad Flevum usque extenderes, nihilominus tamen Caninefates in ea fuisse ex Plinio negares. *Egone hæc negavi Cluvere? quare verba nostra non ponis? Aut ubi ego Batavorum insulam usque ad Flevum cum Iunio & Haemrodio extendi? Imo nec Iunium quidem ipsum id facere ostendi, nisi cum venia & pace & lato modo; & quemadmodum omnes Hollandi vicinis vulgo appellantur, qui in insulis Rheni, etiamsi Hollandi proprie non sint: quomodo & priscis olim auctoribus etiam Batavorum subinde vocabulum acceptum Disceptat. 14 & in Originib. cap. 6 lib 1 monui: & illud Silij 3 bel. Pun. accipiendum est:*

At tu transcendens Germanice facta tuorum,
Iam puer auricomo præformidate Batavo.

Nam eo loci vocem Batavo *quis ad solos insulanos, qui intra Vahalim & medium Rhenum, restrinxerit?*

His postremo ædilitia edicta adjicis & Iunium meum tollere jubes qua adversus Stellam Hispanum scripsit, recte de Caninefatibus tecum sentientem: Mihi invidiam & malevolentiam objicis, cujus ego sane neutrius mihi sum conscius: Quod & æquus lector omnesque agnoscent, qui Disceptationem nostram 21, adversus quam ista quasi dicuntur, propius aliquando introspicient. Nam & ibi quid Stellæ olim responderit Iunius cōmonstratum aliaq; huc pertinentia, à te studio &, quia confutare nō poteras, prudenter omissa.

CLV-

CLVVERVS.

AD tertium antequam proficiſcar,reſpondendũ erit quæſtioni adverſarij,ubi quærit,qua fronte ego plus mihi fidei,quam Plinio ac Ptolemæo, antiquis & claſsicis auctoribus haberi poſtulē. Maligne(ne quid gravius dicã) diſsimulator, quid quæris quâ fronte? qui diſerte tibi dixerim fronte Taciti & aliorũ auctorum: quorum teſtimonia ad ruborē tuum affatim proximo Capite adferã. In præſens quæro, quâ ingenij judiciiq; ſtupiditate, aut ſaltē qua geographiæ veteris juxta ac novæ ignorãtia tu Ptolemęũ credas omnē GalliãGermaniamque (nã has duas ex omni reliquarũ terrarũ numero in exemplum traxiſſe ſuffecerit) vere ac ſine ullo errore deſcripſiſſe, quũ ille in iis nihil niſi perpetuos errores dederit? quod ex una Rheni Gallica ripa ſatis tibi ſupra hoc libro apertum puto. Et de Plinio etiam ut reſpõdeã: quæro ex te, qua geographię hiſtoriæq; antiquę imperitia huic ſimul et Ptolemæo & libello provinciarum civitatũq; Galliæ tu credas Vellocaſſes & Caletas fuiſſe in Lugdunēſi Gallia, id eſt, in læva Sequanæ ripa, quum Strabo lib. 4 diſerte Caletos in dextra Sequanæ ripa Oceano adponat, &c. Cap. 34. pag. 161.

Quære jam igitur qua fronte heic etiam ego plus fidei Cæſari ac Straboni, hodierniſque regionum & urbium vocabulis poſtulem, quam Plinio & Ptolemæo? oſtendis ſane quam peritus ſis geographus. Nuperrime ad hoc ſtudiũ animum te adieciſſe, quis vel ex hoc uno non coniecerit. Sed heus tu qui poetis delectaris, accipe hoc Horatianum.

Quam ſcit uterque libens cenſebo exerceat artem.

RESP.

insulam ad Flevum usque extenderes, nihilominus tamen Caninefates in ea fuisse ex Plinio negares. *Egone hæc negavi Cluvere? quare verba nostra non ponis? Aut ubi ego Batavorum insulam usque ad Flevum cum Iunio & Haemrodio extendi? Imo nec Iunium quidem ipsum id facere ostendi, nisi cum venia & pace & lato modo; & quemadmodum omnes Hollandi vicinis vulgo appellantur, qui in insulis Rheni, etiamsi Hollandi proprie non sint: quomodo & priscis olim auctoribus etiam Batavorum subinde vocabulum acceptum Disceptat. 14 & in Originib. cap. 6 lib 1 monui: & illud Silij 3 bel. Pun. accipiendum est:*

At tu transcendens Germanice facta tuorum,
Iam puer auricomo præformidate Batavo.

Nam eo loci vocem Batavo *quis ad solos insulanos, qui intra Vahalim & medium Rhenum, restrinxerit?*

His postremo ædilitia edicta adjicis & Iunium meum tollere jubes quæ adversus Stellam Hispanum scripsit, recte de Caninefatibus tecum sentientem: Mihi invidiam & malevolentiam objicis, cujus ego sane neutrius mihi sum conscius: Quod & æquus lector omnesque agnoscent, qui Disceptationem nostram 21, adversus quam ista quasi dicuntur, propius aliquando introspicient. Nam & ibi quid Stellæ olim responderit Iunius cōmonstratum aliaq; huc pertinentia, à te studio & , quia confutare nō poteras, prudenter omissa.

CLV-

CLVVERVS.

AD tertium antequam proficiſcar, reſpondendũ erit quæſtioni adverſarij, ubi quærit, qua fronte ego plus mihi fidei, quam Plinio ac Ptolemæo, antiquis & claſsicis auctoribus haberi poſtulē. Maligne (ne quid gravius dicã) diſsimulator, quid quæris quâ fronte? qui diſerte tibi dixerim fronte Taciti & aliorũ auctorum: quorum teſtimonia ad ruborē tuum affatim proximo Capite adferã. In præſens quæro, quâ ingenij judiciiq; ſtupiditate, aut ſaltē qua geographiæ veteris juxta ac novæ ignorãtia tu Ptolemęũ credas omnē GalliãGermaniamque (nã has duas ex omni reliquarũ terrarũ numero in exemplum traxiſſe ſuffecerit) vere ac ſine ullo errore deſcripſiſſe, quũ ille in iis nihil niſi perpetuos errores dederit? quod ex una Rheni Gallica ripa ſatis tibi ſupra hoc libro apertum puto. Et de Plinio etiam ut reſpõdeã: quæro ex te, qua geographię hiſtoriæq; antiquę imperitia huic ſimul et Ptolemæo & libello provinciarum civitatũq; Galliæ tu credas Vellocaſſes & Caletas fuiſſe in Lugdunẽſi Gallia, id eſt, in læva Sequanæ ripa, quum Strabo lib. 4 diſerte Caletos in dextra Sequanæ ripa Oceano adponat, &c. Cap. 34. pag. 161.

Quære jam igitur qua fronte heic etiam ego plus fidei Cæſari ac Straboni, hodierniſque regionum & urbium vocabulis poſtulem, quam Plinio & Ptolemæo? oſtendis ſane quam peritus ſis geographus. Nuperrime ad hoc ſtudiũ animum te adieciſſe, quis vel ex hoc uno non coniecerit. Sed heus tu qui poetis delectaris, accipe hoc Horatianum.

Quam ſcit uterque libens cenſebo exerceat artem.

RESP.

RESPONSIO.

Quid hîc dicitur, aut quid adfers, quod errorem ac pertinaciam excuset tuam? Sæua audio ac tumultuantia verba, homine & humanitatem aliquam professo indigna. Nunquam tibi illud Comici lectum: Qui leniter sæviunt, sapiunt magis? *Quod etiam obijcis; aut quæris an ego credam Ptolomæum ac Plinium nullo errore Galliam & Germaniam descripsisse? Vbi hæc nobis instituta quæstio? Aut quid id ad rem, si error alicubi in descriptione Germaniæ præsertim ac Galliæ obrepserit Ptolemæo & Plinio? Hoc quæritur an hîc erraverint; an ignoraverint quis Galliæ fuerit terminus, & quo se usque imperium & potentia Romana extenderit: Nos negavimus, quia consentientia alijs & præsertim Tacito tradiderunt, ut patuit Disceptat. 17 & 18. Quod licet tu haud ignorares, ausus tamen es dicere te auctoritate hîc Taciti uti. Cur eam nō adduxisti, cur differre maluisti, quam ex tempore solvere? An quia hoc etiam nomen difficile tibi est expeditu? Ita existimo; & statim videbimus. Nam quæ porro sequuntur, solennes sunt & triviales debacchationes tuæ, quibus multa opponi possint & res quoque & occasio non abnuerent, sed te non imitabor meq́ abstinebo potius, ne fiat, quod ille dicebat,* caprinum prælium.

CLVVERVS.

Ibid. pag. 163. v. 4. AD hanc objectionem ità respōdet adversarius, postquā̄ Mattiacos Transrhenanū̄ populum

populum fuisse concessit: *Quamvis interea, cum in Germania, testante Tacito, Cattorum caput fuerit Mattium, cur diffidendum Zelandos, quatenus Cattica prosapia sunt (cujus Cattium oppidum ante annos jam plures aquis absorptum, & turrim adhuc è fluctibus prominentem ostentans non leve vestigium relinquit) cur inquam prafracte diffidendum, referri ad eam gentem hoc nimirum nomine & aspectu, Zelandos insulanos posse? Ut ità non tantum contermini illi & socij, sed etiam consanguinei sint fuerintque jam olim Batavorum.* Proh summe Iupiter, quantus sophista: ego negaveram Mattiacos incoluisse Zelandiã: hic ingerit me Zelandos negasse hoc vel illo nomine ad Mattiacos referri posse. Sed quid malum heic tibi voluisti Philosophe? Quia Mattium Cattorum fuit Caput, Zelandi autem Catticæ prosapiæ; hi* etiam hoc nomine ad Mattiacos referri posse, quænam quæso, hæc est argumentatio? quæ conclusio? Peream ego infelix, si satis perspiciam. Nisi forte sic argumẽtari volueris. Quia & Zelandi simul & Mattiaci Cattorum fuere progenies: igitur Zelandos quoque hoc respectu ad Mattiacos posse referri. Ergo & quia Iuhones trans Rhenum & cis Flevum Caninefates & item Sunici fuere progenies Cattorum: igitur Zelandi & ad Caninefates & ad Sunicos etiam, non modo Mattiacos, poterunt referri. At quid hic tandem sequitur? Nempe & Mattiacos & Caninefates & Iuhones & Sunicos, quia inter se fuere consanguinei, recte in Zelandia locari. Peream iterũ pessimis modis, si hæc sophistica tua satis intelligam. His atque talibus si Philosophi nomẽ tueris: næ tu haud melius, fueris Philosophus

*Ita editur

quam geographus. At quam egregie probas Zelandos esse progeniem Cattorum: nempe quia Cattorum nomen exstat in Zelandiæ quôdam oppidi turri Catz. Talibus egregias tuas Disceptationes auspicari placuit? Ex hac prima si de reliquis conijciendum est, certe nihil nisi nugas nobis dare instituisti. Sed missum te facio, ad Iunium tuum redeo.

RESPONSIO.

Quid hic iterum te lectoremque involvis? scilicet ad plausum faciendum, Ceratinas tibi quasdam & crocodilos taliaq; acumina ac sophismata studes è verbis nostris exstruere, quæ inde jure bono nemo eliciat. Quid enim clarius quam quod innuimus eâ ipsâ quam intelligis, Discep. 1 & postea Disceptat. 15 uberius explicatum, ideo nimirum Zelandos non minus quam Batavos ad Cattos referēdos, quia nō tantum vestigia servāt Cattici nominis, sed quia originis insuper & gen-
Lib 4 c. 17 *tis sunt Germanicæ, uti & supra ex Plinio & eâ ipsâ Discep. 15 diserte retulimus, etiamsi tu callide hic dissimulas. Non ergo id negare solum, quod hic & in Commentario tuo adversus Iunium & nobilissimum Douzam assiduo facis, sed negationē tuam adversus argumenta nostra nunc demonstrare debuisses. Quod cum hactenus à te præstitum non sit, ad priores te lectoremque Disceptationes remittimus, & præsertim quæ est ordine decima quinta.*

CLVVE-

CLVVERVS.

SEd adversarius ad hæc quid habeat, si vacat, videamus. *Sudat*, inquit, *Cluverus in explicandis Taciti verbis: sudat, inquam, cum videatur illis, quasi Galliæ termino excludere* Batavos. Et mox. *Sed interrogare Cluverum libet, quare ulteriora in insulâ non in insulis dicat: cum præsertim nequaquam, ut aliqui aspectu* Helij *&* Flevi, *intermedium quidquid est, insulæ uni adscribat. Nam plures, non unam insulam ultra eam* Galliæ *continentis partem esse, & facies ipsa rerum &* Plinius, *varios hic populos & insulas adusque Flevum agnoscens, liquido attestatur, nec ignorare Cluverus potuit Marsatios insulanos admittens.* Maligne cavillator, pessime chorographe, quid hic tibi a me sudatum, quid coactum, quid invita Minerva invitisque Musis omnibus, tuo more, extortum. Malignus ni fores, certe liquidissima mea planissimaq; verba rationesq; fluidissimas nunquam cavillatus esses. Quæris cur ulteriora non in insulis, sed in insula dixerim. Scilicet quia melior te geographus ego ea, quæ ultra medium Rheni alveum non in Gallia, sed in Germania esse sciebam: ea de causa nihil ad præsentem orationem pertinebant. Ibidem pag. 164.

RESPONSIO.

Notandum hîc Cluverum, quod & ante non semel questus sum, raro aut vix unquam Disceptationis notam aut numerum addere, ne scilicet lector, collatione fortassis instituta, fucum & futilitatem responsionum ejus animadvertat. Ita & hîc; rogatus cur tantum Galliæ

 adscribat,

adscribat, qui in insula, non verò etiã, ut Plinius, qui in insulis Rheni; respondet, quia ipse melior me geographus sit, sciatque eos in Germania esse. *Egregia sane & digna Cluvero responsio. At contrarium hujus, fuisse scilicet eos non in Germania propriè sed in Gallia Belgica & imperij complexu disertis non modo Pliniij verbis probavimus Disceptat. 18 & 19, sed & Taciti ac Ptolomæi: ut ita Cluverus se judice, non tantum me, sed Plinio quoque, Tacito & Ptolemæo jam melior sit geographus. His adde quæ jam sequuntur.*

DE MEDIO RHENO

Deque Germaniam inter & Galliam termino.

CLVVERVS.

Cap. 35. pag. 166. QVæro igitur iam heic ex Iunio, quæro ex defensore ejus adversario, si diis placet, nostro; quis ille fuerit Rheni Bicornis alveus, qui diu serena tempestate & æstu ità interdum *exaruit*, uti *tenui lapsu vix leves calculos perspicuo vado propulerit*; et in cujus ripa *per intervalla disposita fuerunt castella*, cum *militibus* limitis custodibus, *ad Oceanum* usque? An non ille Tacito etiã *tenuis* & Plinio *modicus nomen Rheni servans & custodiens*? Omnino ego arbitror. Nec tu chorographe, licet invidia malevolentiaq; disrumparis, diffiteri unquam ausis. neutrum quidpe horum vel Vahali vel Isalæ lacuive Flevo attribuere

buere potes: quorum alvei tale quid nunquã siccitate cæli passi sunt, nec unquam patientur. Nec castella ista usquam monstraveris in Isala tuo, aut ad Lacum. Panegyricos istos auctores licet nunquam legisses, tamen ex una tabula Itineraria didicisse poteras, ad medium alveum fuisse castella & militem præsidiarium, *Arenatij, Grinnibus, Albianis, Lugduni*, quæ loca hodie vulgaribus vocabulis dicuntur Arnhem, Rhenen, Alfen, Leiden. Quibus Tacitus histor. 5 addit *Vadant* et *Batavorum, &c.* Ex ijs jam liquido patet, quos alveos et Zozimus intellexerit lib. 3, ubi inquit *Bataviam in duo cornua scissus* Rhenus *insulam efficit*. De ijsdem quidpe rebus à Constãtio et Iuliano circa Bataviam gestis narrat Zosimus. Quapropter nequidquam tu hæc eius verba de Helio et Flevo interpreteris. Ecquid iam tibi heic animi est, ô Chorographe? Putasne satis prostratas esse omnes disceptationes tuas, vanas, inanes, irritas atque falsas; postquã unum illud omnium fundamentum, cui eas superstruxeras, plane convulsum est. Extimum intelligo alveum, id est, Isalam et lacum ostiũque Flevum: quem tu, limitẽ esse imperii Romani, nobis persuadere voluisti et terminum Galliam inter atque Germaniam.

RESPONSIO.

Vt à fine incipiam, somnia & triumphos tibi fingis ante victoriam. Sæpiuscule jam ante jactasti, medium Rheni alveum fuisse terminum Germaniam inter & Gallias, idque probaturum te ad ruborem meum hoc Capite, allatis authorum & præsertim Taciti testimonijs. Quos autem hic adducis?

adducis? Non quod quærebatur, Tacitum, sed Panegyricorum unum alterumve aut plures, qui in genere de ripa Rheni Romanorumque in ea præsidijs deque Rheno ipso, utpote termino imperij & Galliarum loquentes, nihil proprie ad quæstionem, de qua agitur, conferunt. Ubi illi medium Rhenum vel nominant vel intellectum cupiunt? Ad Oceanum usque, *inquiunt*, castella disposita: *Hoccine est* medium Rhenum *dicere? At Romani Oceanum hic nominantes aut Occiduum aut Borealem intelligebant: Quorum Helius occidentem, Boream Flevus spectabat: de quo ex Tacito jam ante luculentè dictum. Quin & alveus ipse medius nonne hoc satis indicat? Eum enim & Plinius, ut nosse potes,* modicum *dicit, utpote inidoneum ad Classes vel recipiendas vel in Oceanum emittendas. Unde etiam Drusum & ejus mox filium Germanicum Oceanum & Amisiam petituros Rheno Ostio Boreali, id est, Flevo egressos Tacitus demonstrat. Verba vero istæc Panegyrici:* Alveum Rheni diu serena tempestate ita exaruisse, ut tenui lapsu vix leves calculos perspicuo vado perpulerit, *dum ad eam Rheni partem detorques, quam tu aut vehementer falleris, si ità sentis; aut si ità non sentis, lepide lectorem tuum fallere ac ludere studio habes. Sic enim ille panegyrista, Mamertinus inquam, ad Maximianum Augustum:* Quis unquam ante

vos

vos, principes, non gratulatus est Gallias illo amne muniri; quando non cum summo metu nostro Rheni alveum minuit diu serena tempestas? *Et statim*; Licet Rhenus arescat, tenuique lapsu vix leves calculos perspicuo vado pellat, nullus inde metus. *Hæc ad præsens institutum, & ad unum medium Rhenum quis; nisi invito & renitente ipso Rheno, trahat?* Gallias, *inquit*, muniri eo amne, *intelligens præsertim adversus Alemanos & Francos; & tum maxime cum plenum, pluvio cœlo, alveum amnis devehit; cum verò longa serenitate sterilis & tenuis fluit, metum eorundem Francorum inquam & Alemanorum, incutere solere Romanis in ripâ præsidijs, ut alibi pluribus nobis dictum. Vnde & hoc liquet, cum Rhenus hic indicetur, cœlo vel pluvio vel sudo inundãs aut tenuis cũ nequaquã quod tu facis, esse referendũ ad medium & modicum alveum, qui* * *Plinio status, & qualis ordinario fluebat,* modico alveo *describitur: Nec vicissim cum eodẽ Plinij* alveo modico *confundendum* * *Taciti* tenuẽ *qui ut ille Mamertini, similiter momẽtaneus fuit, nõ quidẽ aspectu sereni aut pluvij cœli, sed molis a Claudio Civili in ripâ Germanicâ excitatæ; ac dirutæ, quæ erat ex adverso fere, in ripâ Gallicâ supra Vahalim, Drusianæ, ut ante ostensum est. Cujus à Civili eductæ in Rhenum molis cum tu nusquam vel memineris, haud mirum ejus ignorantia*

* Lib. 4. c. 5
* Lib. 5. hist.

ignorantiâ aut dißimulatione, commentum tibi istud abactionis Rheni in mediam insulam, *quod foret juxta glossema tuum*, in Galliam, *esse enatum; quemadmodum in disceptationibus quoque innuimus. Elenchus ergo & fucus tuorum verborum satis, ut existimo, nunc elucet qui cōposuisti quæ erant disiungēda. Quod & in voce* bicornis *itidem notari debet. Non enim Mamertinus hac voce utitur, sed Eumenius tibi quoq; sed ante Mamertinū citatus: qui tamen ipse licet epithetū* bicornis *ad imitationē Maronis usurpet, totum nihilominus Rhenum intelligendum velle eum manifestum est. Ita enim ait:* Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, & toto nostri greges flumine bicorni mersantur. Terribilem *scilicet* ripam *dicit aspectu præsertim Francorū, de quibus loquitur, quique non ex adverso tantum sed & supra divortium Rhenum accolebant. Zosimi postremo locus, qui adducitur, hoc præcipue vult, Rhenum ubi dividi incipit bifariam scindi Gallias nimirum versus & Germaniam insulamque efficere Batavorum. Iam de castellis quod addis, quam tu facete nobis & anxie enumeras, quæ circa alveum medium fuêre, præterea autem, quæ exstimo & Boreali circa Flevum castella hibernaque Romani habuerunt, ubi Tacitus 4 Annal.* Flevū castellū *agnoscens ibidē esse* extrema imperij *accurate adijcit, ut infra repetetur uberius. An tu hæc ignorasse potes Cluvere?*

Quomodo

Quomodocunque sit, nequaquam hic esse silentiarius debueras, præsertim quia ego Discep. 17 & 18 luculenter tibi ostendi imperium Romanum non intra alveolum medium stetisse, sed omnes Rheni insulas & insulanos à Plinio enumeratos Lib.4.c.15 *complexum; idque testantibus ipso Plinio, Tacito & Ptolemæo. Quid? Nonne tui officij erat hic aliquid reponere, præsertim quia ipse contrarium te ex Tacito monstraturum receperas.*

CORONIS SVPERIORVM.

Coronidis & observationis vice illud addam, Cluverum, licet jam ante aliquoties ex Tacito se ostensurum pollicitus sit, medium Rheni alveum Germaniam inter & Gallias terminum fuisse, id ne verbo quidem aut levi indicio ex Taciti Annalibus aut alijs ejusdem Taciti operibus uspiam præstare. In Disceptationibus enim præsertim decima septimâ, cum ex eo quæreremus, quâ fronte plus sibi fidei quam Plinio & Ptolemæo (qui uterque Galliæ terminum circa Flevum, Borealem Rheni alveum, quod nec ipse diffiteri potest, finierunt) haberi postularet, respondit Capite 34 libri 2 Antiquæ Ger. pag. 161 hisce stomachantibus verbis quæ & superius posuimus: Maligne (nequid gravius dicam) dissimulator, quid quæris quâ fronte, qui disertè dixi fronte Taciti & aliorum auctorum, quorum testimonia ad ruborem tuum affatim proximo Capite adferam. *Horum authorum panegyricos jam audivimus, & quidē nihil*

nihil ad ejus causam momenti attulisse, quemadmodum & Zosimum. At ubi jam Tacitus Cluvere? Tacet, & tibi quoque altum super eo silentium. Nam quæ pag. deinde 167 vers. 23 & deinceps ad finem usque Capitis è Tacito adferuntur testimonia, recocta ex priore Commentario de tribus Rhenij Ostijs crambe est, tantumq; ostendunt quod ibi capitis 11 titulus præfert, Batavos Galliæ adseri: *quod nos nunquã negavimus, serioque adsertum volumus; nec Batavos tantum, sed omnes* in insulis Rheni, *teste Plinio; & ipso Tacito alijsque ut statim videbimus. Debitorem itaque adhuc Disceptatio nostra decima septima nosque nunc iterum te poscimus. Cujus ergo an oboriri tibi rubor possit ignoro; nobis certe quod ad ruborem nostrum facturum te dicebas, non admensus es.*

Superest ut verba testimoniaque in Disceptationibus 17 & 18. obiter indicata, non Plinij modò & Ptolemæi, sed Taciti quoque & Melæ, maximorum authorum & qui de rebus præsentibus loquuntur omnesque Rhenum Borealem, juxta Flevum, imperij & Galliarum terminum *agnoscunt, ordine nunc subijciamus. Melæ, qui tempore & ætate primus habetur, primum locum dabimus. Is enim lib. 3 cap. 2 extimam Galliarum oram delineaturus totum eum tractum tribus adsignat populis* Aquitanis, Celtis *&* Belgis. *Quorum à Pyrenæo ad Garumnam* Aquitanos; *à Garumna ad Sequanã*

Celtas;

Celtas;*inde ad Rhenum usque pertinere memorat* Belgas. *Et ut intelligatur haud Vahali aut medio inter Helium & Flevum Rheni ore eam ipsam Belgicæ oram terminare, remotissimum Rheni, versus Boream, Ostium Flevum terminū facit. Ait enim:* Rhenus ab Alpibus decidens, prope à Capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu solidus & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tum & donec effluat Rhenus, ad dextram primo angustus & sui similis: post ripis longe ac late recedentibus, jam non amnis sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior iterumq; fluvius emittitur. *Post Melam Plinius similiter lib. 4 cap. 15 sic habet:* In Rheno ipso prope centum M.P. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum (seu *Vriorum*) Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellātur ostia, in quæ effusus Rhenus, ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnē Mosam se spargit: medio inter hæc ore, modicum nomini suo custodiens alveū. *Hos autem insulanos omnes intra Galliæ Belgicæ esse terminum ità deinceps cap. 17 repetit:* Rhe-

num accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia Belgica, Nemetes, Tribochi, Vangiones; hinc Vbij, Colonia Agrippinensis, Gugerni, Batavi, & quos in insulis diximus Rheni. Diximus, *nimirum loco nunc indicato Capitis 15. Iam Taciti loca sunt Annal. 4 & 4 historiarum: Prior ita habet:* Olennius infensos (*Frisios*) fuga prævenit, receptus castello cui nomen Flevũ: & haud spernenda illic civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat. *Et ibidem post pauca, ubi Romanis illatam à Frisijs cladem memorasset, addit:* Clarum inde inter Germanos Frisium nomen: dissimulante Tiberio damna ne cui bellum permitteret. neq; senatus in eo cura, an IMPERII EXTREMA dehonestarentur. *En Flevus & ille secundum Frisiæ continentem tractus castellaque* EXTREMA IMPERII *Tacito. Quo loco quid esse adversus Cluveri imaginariã de medio Rheno assertionem evidentius potest? Quæ præterea 4 historiarum habentur eiusdem Taciti verba prolixiora sunt, & in Disceptationibus* * *superioribus citata. Ptolemæum denique juxta eundem quoque Flevum & magnam Germaniam, ubi Rheni est exitus borealis, Galliæ limitem figere, ejus diserte Tabulæ indicant; nec negare Cluverus potest, sed id ex Tacito & alijs authoribus temperare se* * *dicit; quod quam egregie præstiterit jam ostensum est.*

* Disc. 22. & 36.

* Lib. 2 Ant. Ger. pag. 161.

CLV-

CLVVERVS.

VErum unum adhuc hujus Lernæ Caput supereſt; quod ſimul præcidendum erit, antequam ad alia proficiſcar. Ais igitur mediũ Rhenum circa Egmondam potius quam Catvicum effluxiſſe ex ſententia Haemrodii. Egregia ſane fides auctoritaſque, quibus rem tantam adſeris. Ergo tu omnino ex rerum natura tolles eum Rheni alveum, qui omni ævo Rheni nomen ſolus ad hæc noſtra tempora tulit? Nam Haemrodius ille tuus Egmondanum iſtum alveum *ex Rheni dextro prope Campos opidum, inde per Lacus humileſque campos delapſum Scardamum & Veterem aggerem pagos prætereundo, Alcmariamque adnatando, per Egmondanorum vicos in Oceanum* deducit. Hic vero quomodo Rheni nomen cuſtodiverit, quod ex Plinio ei tribuit Haemrodius ipſe tecum viderit. Ibidem pag. 167.

RESPONSIO.

Si ſincere ſententiam noſtram, cujuſmodi ea nobis poſita Diſcep. 20 accepiſſes, nulla hîc uberiori reſponſione nunc foret opus. Non enim nos medium illum Rheni, qui hodieque nomen habet, tollimus alveum, ſed de exitu tantum ejus quærimus, gnari etiam alijs hic aquam hærere. Nam circa Catvicum eo loci quo tu & ante te Iunius alijque hodie in mare deducunt, effluxiſſe, ecquæ argumenta magnopere aut veſtigia ſuadeant? Haemrodius per Egmondam, *loquente adhuc nomine, modico ore effluxiſſe retur potius: ſed eò*

unde

inde delapsus pervenerit, qui certo explicarit nōdum repperi. Libet tamen hac Nannij Alcmariani ex Miscellaneis adijcere : **Engmondt** ab angusto ostio dicitur : credo, quod stagna Rheni ibi suum emissarium in Oceanum habuerint. Certe intra secundum lapidem ad viculum, nomine Crabbedam, visitur alveus Rheni, qui nomen suum antiquum retinuit, licet à Rheno destitutus. *His adde quæ in Disceptatione jam dicta.*

DE CASTELLIS ET OPIDIS BATAVORVM.

CLVVERVS.

Cap. 36. pal. 170. ADversarius noster, qui ne heic quidem potest nō obloqui, ut Noviomagum probaret esse Taciti Batavorum opidum, hisce utitur argumentis : *primum quia* Batavoburgum *non tam opidum quam arx hodie sit, deinde quod non ad Vahalim ut* Neomagum, *sed ad Mosam situm: unde haud commode & adeo raptim, quomodo narrat* Tacitus, *ex eo in insulam concedere & sibi suisque consulere* Civili *occasio fuißet.* Quæ quam sint valida, quis tam infans qui non primo intuitu prospiciat? Vbi tu Chorographe legisti opidum hoc Batavorum postquam à Civili exustum fuit in integrum fuisse restitutum? Et licet tunc, finito bello restitutum fuerit, quo necessario argumento evincis, debere nunc etiam id

esse

esse his in oris celeberrimum clarissimumque? Apage sis cum pessimo isto tuo τȣχωρογραφεῖν modo. An verò Civili adeo in commodum fuit, dum Cerealis à veteribus (Santen nunc esse supra ostensum est) advêtat, per IV circiter millia passuum à Batavoburgo ad Vahalim concedere? Haud opinor.

RESPONSIO.

Hæc conferenda cum Disceptatione 40 & præsertim cum pagg. 159 & 160. Ubi argumenta, Cluvero hic studio tacita, habentur, quibus verba auctoris 5 Histor. de opido Batavorum *ad Gelriæ præcipuè Neomagum, Batavorum insulam circumquaque prospectans, non vero ad Bateburgum, Mosæ adsitum castellum, referenda lector accuratus haud difficulter agnoscet. Nam quod Cluverus injicit ac quærit ubinam legerim* opidum *hoc* Batavorum, *postquam, à Civili exustum fuit, in integrum restitutum fuisse? Eodem ego jure quæram, ubi ille legerit non fuisse restitutum? aut ubi compererit ita fuisse exustum, ut oppidi nomen & formam penitus amiserit? Ecce cujusmodi ille & qualia nostris opponit? quæstiunculas elumbes & nullo robore subnixas. Et tamen non veretur obijcere infantes perspicere quam valida sint nostra. Quod tamen quam imprudenter ab illo fiat, hinc liquet; nam ita si sit, nonne jam infante infantiorem se prodit,*

prodit, qui nec ejusmodi valeat refellere, opinationem suam & levia quædam reponens, rem veró ac causam declinans ubique aut frivolis eludens.

CLVVERVS.

Ibidem pag. 172.

ADversarius Chorographus quamquam argumentorũ, quæ modo adduxi, nullum tentare ausus sit, tamen, ne obloquendi animus sibi deesse videretur, ex Floro ostendit, Drusum etiam per Mosam & Albim & Visurgim castella disposuisse. Quæ argumentatio quid hic faciat, equidem non intelligo. Nam mihi de unius Rheni læva agitur ripa. Sed hic etiam ex Dione citat, Drusum in dextra Rheni margine castellum locasse. Miser geographus, quam recens sit ab huius studii rudimentis, satis ingenue fatetur. quidpe castellum id Drusi in Tauno monte fuisse ex adverso Maguncjaci infra in Mattiacis documentis ostendam haud dubiis.

RESPONSIO.

Scripserat in Commentario suo Cluverus cap. 13 pag. 108, Omnia Romanorum ad Rhenum castra à Druso Germanico erecta in citeriori fuisse amnis ripa: *addideratque verbis disertis:* contra vero in ulteriori ripa haud facile una ad id temporis commonstraveris, *hanc confidentiam, ut omnibus ob oculos poneremus, ex Dione & Tacito attulimus etiam in ulteriori & dextra Rheni margine*

ad

ad ipsum Rhenum, ut loquitur Dio lib. 54 *extructum fuisse castellum, præter illud, quod similiter ab eadem parte ad Lippiæ & Alisonis confluentes habebatur, cujus & Tacitus meminerat* 2 *Annal. Hæc optimo jure tunc notaveramus Discep.* 36 *pag.* 143. *Et nunc videns Cluverus se teneri suamque inscitiam manifestam esse, hæc verba Commentarij sui*, contra verò in ulteriori ripa haud facile una ad id tēporis commonstraveris, *consulto & prudēter in hac sua* *Germaniâ *omittit. Nam de Tauno monte quod interijcit, probaturum scilicet se in eo hoc castelli positum, nihil eum excusat, quia in ulteriori nihilominus &* ad Rhenum *fuisse Dio diserte dicit. Vides ergo verissime in te cōpetere, quod in alium calumniose voluisti jacere*, miserum te geographum & recentem ab horum studiorum rudimentis? *qui ea ignoraveris, quæ Dio & Tacitus huc spectantia tam accurate annotarunt; ut omittam de* Flevo castello *& castris à parte Rheni extremi & Borealis; quam partem* extrema imperij *signanter appellavit Tacitus* 4 *Annal, ut supra luculente patuit, tibi omnia aut ignorata aut silentio, ubi minime oportuit, prætérita. Hæc considera Cluvere, & disce haud uni tibi ita omnia tribuere, ut ceteros fungos putes. Meminisse enim potes Iosephum Scaligerum pag.* 124 *Commentarij tui magnum tibi virum esse, sed in alijs non in hisce studijs: Ortelium geographum infelicem, & Lipsium*

* Cap. supra dicto.

Lib. 54.

sium passim aliosque similibus encomijs ornari. Meminisse horum debes, sed & ejus, quod habet Varro: Omnes nobis saperdæ & festivi videmur, cum sumus copreæ.

CLVVERVS.

Ibidem pag.173. HEic etiam ne nihil scivisse videretur Chorographus, pro dicto vocabulo *Rhenes* maluit scribere *Ghrinnes* : nova & antehac inaudita Grammaticis ratione, qua litera c' præcedente diversa consonante, adspiratur. Quanquam ego contra hominem, cui omnis vita in Scholis transacta est, de Grammatica disputare nolim. quidpe quum omnem pæne iuventã militiâ, aulis & diutinis perpetuisque peregrinationibus exegerim: aliquid Grammaticum latere me posse, quod illi sit notius quis dubitet.

RESPONSIO.

Hic quoque Cluvere rebus, quibus destitueris, posthabitis, leptologias & frivola consectaris. Nusquam enim vel per somnium eâ Disceptatione, quæ hic intelligitur 36 id agitur, ut Ghrinnes, *adjecta aspiratione, pro* Rhenes *aut scriptum aut scribendum usquam moneamus. Inspiciat lector Disceptationem jam dictam pag. 145 & 146, verum nos dicere ac falsum obijci reperiet. Præcipuum quod agebamus, id erat, ut ostenderemus Hadrianum Iunium inhumanum*

manum plane in modum à te Cluvere excipi, quia scilicet Rhenes *pro* Grinnes *apud Tacitum secutus Gerbardum Noviomagum legendum atque accipiendum voluerit. Quod dum agimus dumque Cluveri aut Iunij verba citamus, video errore aut calami aut Typotheta factum ut* Grhinnes *vocabulum per aspirationem in verbis eorum aut nostris sit excusum. En crimen, en culpam ob quam* Grammaticus *audire per ludibrium nunc debeo; ipse* miles *&* aulicus *&* peregrinator; *quemadmodum de se magnificè & περιαυτολόγ☉ hic loquitur. Nec refuto, modò corpore, non etiam mente peregrinetur; & militem atque aulicum, sed non illum Plauti gloriosulum agat.*

CLVVERVS.

INfestat heic interum acerrimo, ut videtur, telo adversarius, quod his verbis inclusum: *Innuere Cluverus videtur, jam ante Ptolemai tempora alicuius fuisse nominis opidum Batavorum Lugdunum: quod florente præsertim* Ptolemæo, *tam inclytum habebatur. Quod cum sit recteque concluditur; quomodo quadrabunt superiora, quæ in hac verba Cluverus effert*: In ipsa insula Batavorũ prorsus nulla ad Taciti usque tempora exstitisse opida reperio. *Nam sane* Ptolemaus *quum floruerit sub* Antonino Pio, *successore Adriani, sub quo Tacitus adhuc superstes fuit: quis non videt, vix ullum aut certe exiguum esse inter Tacitum &* Ptolemaum *temporis* Ibidem pag. 174.

 interval-

intervallum? adeo, ut opidum, quod Ptolemæo vivente fuit celebre, Tacito etiam paulo ante superstite obscurum fuisse, aut saltem opidum non exstitisse quomodo non potuit? Næ tu mihi aut bonus videris sophista, aut malus Philosophus; qui ad illud tuum *videtur* tam certo concludis. Egone absolute dixi, Ptolemæum Lugdunum referre pro præcipuo Batavorum opido? ubi igitur illud meum *tanquam*. Sed videamus, quam peritum te ostenderis veteris historiæ Chronologiæque. Castella illa in Batavorum insula, quorum alterum Lugdunum esse dixi, incensa sunt sub initium imperij Vespasiani: ut ex uno satis liquet Tacito. Ptolemæum geographum vixisse geographiamque composuisse sub M. Aurelio Antonino, Svidæ credo. Iam verò ab initio Vespasiani ad medium M. Aurelij imperium centum numerantur anni. Quid igitur mirum, si castellum, quod forte etiam ante supradictam calamitatem celebre præ aliis fuit, intra dictum temporis spacium inclytum evasisse affirmem? At tu sophista, quo in arctissimum me compelleres tempus, senis Taciti exitum cum Antonini Pij imperio composuisti. Sed ad Lugdunum meum redeo.

RESPONSIO.

Quod hic magnopere addam vix est. Res ipsa loquitur; præsertim si pressius inspiciatur ac conferatur cum his ipsa Disceptatio, quæ est 38 pag. 152. Non enim hoc, quod videri hic vult Cluverus, ibi agitur; quo scilicet tempore & quando celebrari cæperit Lugdunum Batavorum; sed an

Taciti

Taciti tempore intra insulam opida fuerint. Hoc enim prorsus negaverat Cluverus, cum interim fassus fuisset Lugdunum Batavorum tanquam præcipuum Batavorum opidum Ptolemæo laudari. Ptolemæus autem cum floruerit sub Antonino, & Tacitus sub prædecessore ejusdem Antonini Hadriano adhuc superstes fuerit, conclusimus nos eum locum, qui Ptolemæo tanquam præcipuum Batavorum opidum fuit celebratus, non potuisse non clarum aut saltem nō opidum fuisse, Tacito paulo ante superstite. Sed ipsam Disceptationem lector videat; nec non Disceptationem 36 pag. 144 & præsertim Disceptat. 22 pag. 69, 70, & 71, ubi insuper reperiri erit, castella illa, quæ in Batavorum insula & ad medium Rhenũ incensa hic vult, nequaquã ad medium Rhenum multoque minus ad Lugdunum Batavorum pertinere, sed eum de incensis castellis Taciti locum quarto historiarum (hunc enim respicit, ubi de Caninefatibus, Brinione & Frisijs) ad Flevum spectare; quemadmodum etiã supra meminimus, ubi de termino Galliarum & Germaniæ egimus. Et licet haud ignoret Cluverus hanc suam ex 4 histor. Lugdunum scilicet Batavorum fuisse alterum illud ex incensis istis castellis, interpretationem liquidissimo à nobis dictis Disceptationibus 22 & 36, utpote pugnantem cum ipso Tacito, esse confutatam; adeo ut nihildum ab eo in contrarium sit repositum; tamen ut ignarum lectorẽ fallat & cautiores etiam decipiat ex uno hæc

liquere

liquere Tacito, *sed in vagum & sine loci indicatione nominato, non veretur asserere.*

CLVVERVS.

Ibidem pag. 181. MAris inundationes (loquitur de Brittenburgo) crebras atque ingentes multum terræ ex toto hoc littore absumsisse, jam ante dictum est.

RESPONSIO.

Vbi tu hoc dixeras Cluvere, multum *inquã* terræ *ex toto eo littore maris inundationes absumsisse? Memini pag. 143* nonnihil abrasum *te concessisse: imo ostendi Discep. 32 hoc te diserte negasse de Frisico præsertim littore & Austrino sinu etiam qua interior patet; & nunc addo, repetere te lib. 3 pag. 67 vers. 43* ab freto Gallico ad Cimbricam usque Chersonesum omnia eadem quæ olim & nunc spectari. *En quibus te contradictoriis & tricis ubivis implices. Sed de hoc in sequentibus.*



EX

EX TERTIO LIBRO ANTIQ. GERMANIÆ.

DE FRISIIS.

CLUVERUS.

PVgnat hic acerrimus adverſarius in Diſceptationibus Chorographicis, his verbis : N*on animadvertit manifeſto ſe Plinio ac Tacito, imo & ſibi contraria loqui : qui ipſe in* C*horographicâ ſua tabella non omnes* F*riſios maiores ſicuti minores, intra* R*heni ſeu Flevi Boreale Oſtium: ſed extra etiam potiores colere facit in ſolo nimirum continentis Germaniæ, ad Amiſium uſque. Quomodo ergo intra* H*elium Flevumque, ut habet diſerte Plinius, in* R*heno cum ceteris, quos nominat, populis ſterni dicentur?* Etiamnum cecutis mi homo? Eamne putas Plinio fuiſſe mentem, uti omnes Friſios in inſulis Rheni locaret? Id ei agebatur: uti indicaret, inſulæ in Rheno amne quorum eſſent populorum. interim non negat ullos Friſios exrra inſulas Rheni agere : non magis mehercule, quam Batavorum etiam quoſdam in continente Galliæ ſeu Germaniæ Ciſrhenanæ colere. Tu videris quomodo Friſios inſulas Rheni habitare lacuſque immenſos ambire pariaris, dum Batavorum inſulam Galliamque & Romanum imperium Flevo terminas. Hæc tibi placeant : nos meliores auctores ſequimur.

Cap. 17. pag. 56.

RESP.

RESPONSIO.

Crypsis & fucus Cluveri hoc loco vix intelligi poterit nisi adhibita atque inspecta, quæ hic innititur, Disceptatione vigesima tertia. Quarum Disceptationum, ut solet fere passim, & nomen & numerum ideo reticet, ne deprehendatur. Nã si vel titulus Disceptationis inspiciatur, statim quod hic quasi ignarus quærit, aperitur, nimirum Plinio nequaquam eam fuisse mentem, uti omnes Frisios in insulis Rheni locaret. Habet enim, inter cetera, indicatque diserte Disceptationis jam dictæ inscriptio, Plinio fuisse Frisios *in* Rheno *insulanos; &* TRANS RHENVM, *in continẽte.* TRANS RHENVM *in Germania qui erant, ita nominat ac describit lib. 25 cap. 3:* In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis, qua pota dentes decidunt, & reperta auxilio est herba, quæ vocatur Britannica &c. Frisij, quà castra erant, nostris demonstravêre illam. IN RHENO *eidem qui fuêre memorantur lib. 4 cap. 15.* In Rheno prope C. M. passuum in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, Cauchorum Frisiabonum &c. sternuntur inter Helium & Flevum. *Ecce duplices manifesto Plinio Frisÿ*, in Rheno *seu insulis Rheni; & extra easdem* trans Rhenum, *in continente*

*continente scilicet Germania. Quos & trans*rhenanum populum *&* transrhenanam gentem, *itemque* majores Frisios *à modo virium;& eorundem vicissim aspectu qui in insulis & Rheno*, Minores *nominat exinde * Tacitus. At tu hic atroci tua conjectura verba Plinij jugulans aut omnes Frisios insulanos facis, aut* trãsrhenanos *cum* Rhenanis, *&* majores *cum* minoribus *miscens tibi & Plinio contradicis. Dum enim in universum Frisios aspectu medij Rheni transrhenanos esse vis, etiam in Rheno qui sunt tibi transrhenani sunt. Legis enim rescribisque in hunc modum * Plinij supra citatum locum:* In Rheno ipso prope C.M.passuum in longitudinē nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum minorum, Frisiorum majorum sternuntur inter Helium & Flevum. *En* in Rheno *intraque Flevum sternuntur tibi* minores majoresque *Frisij, contra ipsum Plinium, qui ut supra patuit, eos qui* in Rheno, *opponit & separat ab ijs, qui* trans Rhenum.

* Annal.4. histor.5.& libro de Germ.

* Lib.4. cap.15.

De Batavis autem quod addis, nihil excusat, non enim Batavi, ut Frisij, majores minoresque, *non* in Rheno *&* cis Rhenum *auctoribus dicuntur; quia laciniam tantum tenuēre ripa Cisrhenana. At Frisij, qui* in Rheno *&* trãs Rhenum, *à virium & populi moda ac multitudine, flumine quoque ipso distincti*, majores minoresque, * *Tacito fuerunt, quemadmodum*

* Libro de Germ.

& Cauchi

& Cauchi Ptolemao. Qui enim intra Amasim & Visurgim agebant Minores Cauchi; *qui Visurgim ultra ad Albim usque* Majores *appellati. Unde liquet similiter* majores Frisios *eum Rheni tractum, qui opponitur insulanis, littusque pracipue Oceani ad Amasim usque incontinente tenuisse*; minores *id est, insulanos in Rheno egisse. Cui rei illustranda insignis est ejusdem Taciti locus in Germania, ubi de* Chaucis *&* Frisijs *ita loquitur*: Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat à Frisijs, ac partem littorum occupet, omnium quas exposui gentiū lateribus obtenditur. *Ecce ad Cauchos seu Amasin usque Germania continentem tenere Frisios, transrhenanum populum, innuit, non ut tu intra Flevum omnes*, maiores *inquam* minoresque, Rhenanos *&* transrhenanos, *coarctans, aut aliquam denique, ut Batavis, continentis illis oram concedens. Manifestum itaque* transrhenanos *Plinij & Taciti* Frisios *intelligendos aspectu non* medij Rheni, *sed eorum, qui in* Rheno, *insulanorum. Nam sane, ut obiter hoc addam, medius tuus Rhenus quomodo secundum te Rheni erit terminus, omniaque ejus respectu transrhenana; si & ultra eum etiam fatente te, sit adhuc Rhenus? Ostium enim Rheni esse Flevum concedis. Vides jam quibus passim absurdis absurda tua cumulas? Et qui possit aliter, prasertim ubi nulla exemplarium veterum aut recentum*

reverentia

reverentia aut cura, sed ad libitum atque animi impetum rescribuntur auctores?

RESPONSIO.

EAt jam chorographus ille noster *Sturiosque* suos seu *Vrios* & *Cauchos* & *Frisiabones*, sub undis in lacu, qui vulgo diciturSuyderſee, quærat: ubi eas Plinij ætate fuiſſe docet. quod falſum eſſe, ex magnitudine quoque lacus, quam jam tum habuit, mox patebit. Ibid. pag. 58.

RESPONSIO.

Vbi nos quæso Frisiabones *in lacu qui* Zuderſee *dicitur collocamus? imo potiſſimum eorum partem ſupereſſe hodieque in Waterlandis, quos appellamus, Diſceptatione 36 diximus; & Sturios ſeu (ut Haemredium haud abs re legiſſe monuimus)* Vrios *in* Vrich *ſeu* Urck *inſula Auſtrini ſinus, nominis adhuc memoriam retinere;* Cauchorum *verò cum nomine pene & ſolum, eluvionibus ejuſdem ſinus prorſus evanuiſſe. At ex Auſtrini lacus magnitudine, quam habuit jam tum, id falſum eſſe monſtraturum te contendis. Quod quam egregie præſtes, docebunt quæ mox ad paginam 69 ejuſdem tui cap. 17 adducemus.*

CLVVERVS.

EOdē libro, cum Friſiorum natio, poſt rebellionem in deditionē veniſſet, Corbulo obſidibus acceptis, agros iis deſcripſit, *idem ſenatum, magiſtratum, leges impoſuit; ac ne juſſa exuerent,* Ibidem pag. 6[illegible] verſ. 14.

G *præſidium*

præsidium immunivit : At Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referre præsidia cis Rhenum juberet. Heic plane inepte facturum puto, qui sub Rheni nomine Isalam intelligere velit. quidpe quamvis Iunius & defensor ejus Chorographus Frisios in Cisrhenanos & Transrhenanos Tacito distingui autument; tamen heic sine ulla distinctione, totam Frisiorum nationem male auctorem indicasse arguerint. ad medium usque alveum pertinuisse Frisios, satis supra in Batavis demonstratum est. ergo non Isalam, sed Rhenum Lugdunésem Batavorum, qui terminus Germaniam inter & Galliam Tacitum notasse hoc loco certum est.

RESPONSIO.

Hic notandum in verbis Taciti, primo dici præsidium, *mox* præsidia: *ita ut jusserit Claudius non tantum præsidium, quod Frisijs Corbulo immuniverat, sed & alia, versus ripam citeriorem seu, ut loquitur Tacitus,* cis Rhenum *referri. Quod cum sit, omnino capiendus Rhenus non modo quatenus infra, sed & supra scissionẽ fluit. Quatenus autem infra divortia scinditur, ille hic proprie Rheni amnis indicatur, qui per fossam Drusianam in lacus se spargit insulasque Frisiorum à Frisia continente dispescit. Quam & ideo Frisiam Frisiosque Tacitus ipse* populum trãs rhenanum *Annal. 4; & 5 histor.* gentem transrhenanam; *sicuti & Plinius lib. 25 cap. 3.* Frisios trans Rhenum, *ut & modo ostendimus, agnoscit appellatque. Nec hoc tantum,*

sed &

sed & Tacitus præterea, ut ante pluribus indicatum, Flevum, aliaque quæ hic in Frisijs scilicet insulanis erant Romanorum castra & castella hibernaque, *terminum seu, ut ipsius habent verba Annal. 4,* EXTREMA IMPERII, *eodem aspectu nominavit. Venti ergo folia sunt, quæ Cluverus adducit, Romanum imperium & Gallias non tantum intra medium Rhenum adversus Tacitum ejusque diserta verba jam & supra indicata, nec illi uspiam notata, coarctans, sed & Frisios majores minoresque ad medium usque Rhenum collo obtorto traducens. Sed de hoc & supra dictum; item Disceptat. 18 & 22.*

CLVVERVS.

EN maligne obtrectator, hæc ego credam te non legisse, dum per triennium fere tela cõtra me quæris atque colligis. quænam illæ fuere complures νῆσοι, quas Drusus inter Rhenũ & Amisiam ἐν τῷ παρατωκῷ ἐχειρώσατο, si heic ante Frisiæ littus insulas tunc temporis fuisse negas? Ipsius Rheni insulas ne nomines. nam XXIV illas diserte Plinius inter Cimbrorum promontorium & Rheni ostium Flevum collocat; uterque vero auctor *Burchanam* nominat, quam hodie esse in ore Amisiæ insulam, vulgari vocabulo *Borchum*, ante me jã viri docti pronunciarunt. Hac igitur unâ necessario concessâ, quomodo reliquas, juxta sitas, negare potes? Annales tui quos allegas, quàm veraces sint, tute ex hoc judices. me ne falso insimules, plane eandem, imperante Tiberio, fuisse Frisici litto- Ibidem pag. 65.

ris faciem, me ſtatuere. quantum diſcriminis fecerim, paulo ante monſtravi: poſtque clarius apparebit.

RESPONSIO.

Quare malignum me obtrectatorem voces Cluvere, cum tu rationem non addas, nec ego cauſam ullam comminiſci poſſum. Niſi ſi hæc ſit, quod tua commenta, quæ aſſuere bonis auctoribus paſſim conatus es, in Diſceptationibus noſtris fortiter reiecerim, verumque eorum ſenſum aſſerere & tutari curæ habuerim. Hanc ſane nec aliam arbitror. Quod autem ais per triennium nos tela adverſus te quæſiviſſe ac collegiſſe: Vis verum audire? ne per triduum quidem. Nam cum tuus Commentarius anno 1611 prodiiſſet, noſtraſque in manus veniſſet, eodem tempore ad calcem noſtrorum Amſtelodamenſium ſubjungendus Haemrodius excudebatur: lectiſque tunc obiter tuis, continuo Annotationes, quas ibi vides, ad eundem Haemrodium; & in tuum ſimul Commentarium cenſuram ſparſim interiecimus: Nec erat adhuc in multorum tum manibus tuus Commentarius: Mox verò Antiquitatibus inferioris Germaniæ *quorundam conſilio cum eſſet additus vendibiliſque redditus, authores fuerunt amici ut Haemrodium ſeorſim & commodiori forma noſtriſque illuſtratum notis ederemus. Atque ita tandem conſiliũ ſumſimus, edendi eum cum Diſceptationibus noſtris ſeparatim: in quibus*

κατὰ

κατὰ πόδας tuum præcipue Commentarium, occasione qua dixi in plurium jam manibus versantem, retexuimus; optimosque auctores Cæsarem, Strabonem, Melam, Plinium, Dionem, Ptolemæum & omnium maxime CORNELIVM TACITVM *à pravis & sinistris, addam etiam audacibus ac temerariis tuis tam correctionibus quam interpretationibus, quod ad hoc argumentum, palam vindicavimus.*

Iam quod quæris, quænam illæ fuerint complures νῆσοι, quas Drusus, Rhenum inter & Amisiam, subegit, si hic ante Frisiæ littus insulas tunc temporis fuisse negem. Quæro vicissim ego; ubi id negaverim? Lege & relege Disceptationem nostram 32, nusquam ejus vel tenue indicium reperies. Hoc dicimus diximusque, si acta & memorias antiquas recolligamus, nunc alia nos multa & immutata seculorum lapsu, illud circa littus deprehensuros. Ostendimusq; id ipsum non modò ex Tacito & Mela, qui insulam quidem Flevum *agnoscit, sed post eam addit Rhenum iterum arctiorem fieri iterumque fluvium emitti; Quod & hodie ita in universum haberi tuum erat demonstrare; nos enim contrarium probavimus Disceptatione jam dictâ: Vbi & de* Vieringa *quoque iniecimus, & præsertim de amne* Burdone, *cujus Aimonius in Frisiis meminit, ibi nimirum casum indicans à Martello regem Frisiorũ Rabbodũ. Sed locus quia insignis est & obiter tantum in Disceptationi-*

bus indicatus, hic totum adſcribam ex libro ipſius Aimonij de geſtis Francorum 4 cap. 55 : Gentem clariſsimam, *inquit*, maritimam Friſiorum, nimis crudeliter rebellantem, una cũ duce ſuo Rabbodo præfatus princeps audacter navali evectione altum mare ingreſſus, navium copia adunata properat certatim debellare. Amiſtrachiam & Auſtrachiam inſulas Friſiorum penetravit : exercitum Friſonum proſtravit atque igne cõbuſſit, ac cum magnis ſpolijs & præda victor reverſus eſt in regnum Francorum. *Hæc Aimonius. Quorum ubi & nobiliſsimus Ianus Douſa, Nordvicenſis olim Dominus, Hollandiæ Annal. lib. 2 meminiſſet, hæc adiecit* :

Oceani proximitas repetitis toties exundationibus effecit, ut tota territoria una cum opidis, coloniis ac municipiis ſuis vi fluctuum à continente avulſa, vel in inſularum ſolitudines, vel in canales ſive freta maximarum navium capacia vel certe in ſyrtes ac pulvinos abierint. Probabilior vero de Burdone fluvio conjectura, quem quidem ego ex neſcio quo municipalium amnium fonte vel alveo ortum traxiſſe: atque inde porro inter continentem & vada illa, quæ dixi ſinuoſo agmine curſum obliquaſſe: ſeque inter Amiſtrachiam ſive (uti nũc loquimur) Amelandiam ac Scellingiam in Oceanum denique effudiſſe, quovis pignore cõtendere auſim : & quidem eo confidentius, quod vetuſti nominis reliquias etiamnum tue-

atur

atur, atque illorum temporum nobis quasi in memoriam redigat vorago sive gurges inter utramque insulam interjectus, quem perperam hodie idiotismus noster Boerdiep; indigetat, quum Borndiep dicere deberent: quasi tu Burdonis profundum sive abyssum dicas. Ita vero nomen illud in pinacibus rescribendum, Lucæ Aurigarij tabulæ hydrographicæ evidentissime convincant. in quibus expressa etiam arenarij pulvini tænia occurrit &c: cui *Bornriff* ex re nomen ab naviculatoribus inditum. *Riff* siquidem arenæ molem, reciproco fluctuum meatu in altum aggestam & quasi coacervatã saxique instar spissatam concretamque significat.

Hactenus Dousa. Cui addas licet, ab altera, Frisiorum scilicet in Rheno, parte cis Flevum, esse fretum, quod hodie Marsdiep *dicitur, maximarum nunc onerariarum capax, veteribus nuspiam nominatum aut cognitum; Quin & circa ejusdem freti alveum, versus Husdunum, hominum adhuc superstitum memoriâ, ingentem oræ maritimæ laciniam ab Oceano exesam ac vastatam; idque memorare hodieque ex accolis ætate grandiores ac testes oculatos; adeo ut intra ædem (quæ circa littus olim constitit) & solum reliquũ maximi nunc sit gurgitis istius,* **Langediep** *dicti, altitudo. Nec repetam jam quæ alibi ex Strabone allata sunt de littore & Ostio Rheni occiduo, quod ille Britanniæ multò quam nunc est propinquius collocat; Quodque Plinius Bataviæ longitudinem versus Oceanum majorem prodat,*

quam est hodie; exitumque medij alvei indicet, qui nunc quaeritur nec invenitur: sicuti nec Helius *eidem memoratus; circa quem in Oceanum se Rhenus immenso Mosæ ore, ut loquitur Tacitus, effudit: Quodque Hadrianus Iunius sua ætate integram domorum viciniam Nordvico maritimo Oceanum mare attrivisse referat; Scevelingæque delubrum, quod ad bis ferme mille passus, ultra paucos supra centum annos, ubi jam mare est, stetit, fluctibus absorptum nuspiam comparere. Quibus & ultimo loco accedat canina illa sylva* t'Honsbosch *accolis nominata; quæ, ubi arenarij colles deficiunt, nunc sola Hollandiam minoresque Frisios ab Oceano & interitu immunes ac tutos præstat. Est autem hæc moles mortalium manibus elaborata & ad tria passuum millia secundum mare loco littoris exporrecta. Anniversariæ fabrorum atque opificum operæ eam assidue communiunt, delectis viris ex optimatum numero pro magistratu illic agentibus, quæ trabes convehunt, saxa conportant, silices ac pondera marmorum moliuntur. Nominis causam referunt, quod murmurantis Oceani fremitus & undarum fragor perpetuis veluti canum latratibus locum circumsonet & continuatis nocte dieque assultibus contundat ac pulset. Vidisse se narrat Iunius ducenaria illic marmora instar pilarum in planiciem moli subjectam decumanis fluctibus fuisse evibrata atq; excussa. Adeo ut mare illud prodigum perpetuo*

ibi ludat & cuncta hauriat atque absumat, nisi novis operibus assidue reparetur. Quæ cum sint, ecquis jam illud ἄτοπον tuum admittat aut audiet quod hic apponis? Quodque repetis eodem hoc libro pag, 67. vers. 41 hisce verbis: Ego verò ex his omnibus colligo eandem jā tum fuisse *(antiquissimis nimirum Romanorū temporibus)* totius huius littoris ab freto Gallico ad Cimbricam usq; peninsulam faciem, quæ nunc est, easdemque insulas, quæ nunc visuntur. *Me quod attinet, etiā si iterum tuam mihi humanitatem experiundum sit, tecum tamen facere & adversus ævi omnis consensum & experientiam, adversus soli fluxilis & lubrici indolem niti nec possum nec par est.*

CORONIS SVPERIORVM.

Interea quasdam, quæ hodie visuntur, insularum etiā olim fuisse, & præsertim ab Amisia versus chersonesum Cimbricā Plinio & Straboni memoratas, nemo sanus negaverit. Quod tamē Cluverus hinc infert, inter Cimbricū promōtoriū & Rheni ostium Flevum Plinio XXIV diserte collocari, *quomodo hoc ex verbis Pliny probaverit? Ita enim Plinius lib. 4 cap. 13.* Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninsulam efficit, quæ Cartris appellatur. Viginti quatuor inde insulæ Roman. armis cognitæ. Earum no-

bilissima Burchana, Fabaria à nostris dicta, à frugis similitudine sponte provenientis, item Glessaria, &c. *Vbi hic de Flevo quidquam Plinius? Tantum eas recenset, quæ inter promontorium jam dictum & Amisiam tum numerabantur; earumque omnium primam & celebratissimam Burchanam indicat, utpote in ore Amisiæ sitam. Et hoc ita esse, nec quidquam eas ad Frisios pertinere liquet, primo, quia insula quæ post Burchanam eo loci Plinio nominantur ut Austrania, Actania, promontorium omnes & Boream versus sternuntur; deinde, quia ipse mox Plinius Capite sequēte, decimo quinto nimirum, Frisiorum insulas ponit, cum inquit*: In Rheno ipso prope C. M. pass. in longitudinē nobilissima Batavorū insula & Caninefatū & aliæ Frisiorum &c. sternuntur inter Helium & Flevum. *Sed inquies, nisi adusq; Flevū accipias, numerum non expleveris; At nec illis adjectis, vel ex tuis vel aliorum chartis constabit numerus. Quapropter nihil novum erit, si dicamus superesse quasdam quæ olim fuerunt; quasdam etiam eluvionibus crebris ibi quoque absorptas. Cui rei ipsum Plinium adducam, qui de Cauchis & hoc littore agens ità loquitur*: Aliud è silvis miraculum: totam Germaniam replent, adduntque frigori umbras: altissimæ tamen haud procul supradictis Cauchis, circa duos lacus. Littora ipsa obtinent quercus maxima

ma aviditate nascendi: suffossæque fluctibus aut propulsæ flatibus, vastas cõplexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratæ stantes navigant ingentium ramorum armamentis, sæpe territis classibus nostris, cum velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu; inopesque remedij illæ, prælium navale adversus arbores jnirent. *Hæc Plinius. Idque testimonium etiam eò libentius adduxi, ut constaret non omnem Frisici aut Cauchici aut Cimbrici littoris mutationẽ ad solam illam vetustissimam Oceani eluvionem, qua Cimbri patrijs terris pulsi memorantur, esse referendam, ut conijcit ac persvadere incautis conatur Cluverus, cum inquit, pag. 64 lib. 3 vers. 30:* Siccam heic antea *(de lacu Flevo loquitur)* vel saltem palustrem fuisse humum, supra memoravi. quando autem; item quomodo lacus primum exstiterit, apud neminẽ auctorũ reperio. Conijcere tamen licet, eodem id tempore accidisse, quo Cimbri Oceani irruptione ex patrijs terris fuerunt pulsi. Ac tum quidem jnundationem illam in omne littus, quod à Daniæ parte Iutia Australi, ad fretum usque Britannicum protenditur, invectam fuisse puto. Hinc Zelandiæ solum antea continens atque solidũ in insulas æstuarijs perpetuis dissectum, de quo supra dictum. Hinc æstuaria

quoque

quoqueCauchorumFrisiorumq; littora, in sicca indidem antea humo exorta: quæ in tantum diutino Oceani illisu postmodum eluta sunt, uti jam non alternis vicibus, modò insulæ modò continentes reliquæ terræ partes; sed altissimis undis perpetuo cinctæ, non nisi navium transmissu adiri queant. *Hactenus Cluverus. Quorum insuper posteriora nonne prioribus cõtrarium quiddam ac repugnans inferunt? Nam si* postmodum, *id est, post irruptionem illam antiquissimã,* diutino Oceani illisu ità eluta sunt æstuaria *&* littora, *ut jam in totum sint insulæ, nonne id dicunt, quod ubique pernegas Cluvere? Nimirum assiduo & diutino Oceani appulsu factum, ut jam sit alia Frisici præsertim ac Batavici littoris ac sinuum etiam interiorum ratio, quam ævo olim Romanorum veteri. Nos sane aliud colligere aut concludere haud possumus.*

CLVVERVS.

pag. 66, vers. 32. At vera hæc fuisse tunc temporis æstuaria, quæ accessu maris Oceani implebantur, recessu verò vacua relinquebantur, ex Plinio iuxta ac Tacito comprobare adnitar, ne quis in dubium vocare queat: arbitrans vadosum mare perpetuis Oceani fluctibus repletum fuisse. Cuius opinionis me ipsum falso insimulavit sæpe dictus chorographus.

RESP.

RESPONSIO.

Vbi id dicit, aut quo loci, aut qua in Disceptatione opinionis istius te insimulavit sæpe dictus chorographus? Ego sane id meminisse aut huius me conscium esse comminisci non possum. Memini quidem indicasse Disceptat. 3 in verbis Cæsaris, ubi dicitur, qui proximi Oceano fuerunt, ij in insulis sese occultaverũt, quas æstus efficere consveverunt; *intelligendas insulas, quæ modo ob æstus marini recessum supra aquas & veluti vada exstarent; modo infra undas ob ejusdem æstus accessum occultarentur, nisi aggeribus aut tribunalibus aut aliter defenderentur, ut supra prolixius expositum. hæc quidem nos. At quænam hæc aut falsa aut non falsa insimulatio? Sed ut hoc scripsisse eo loci meminimus, ita quoque scimus Disceptatione 25 monuiße nos Cluverum (quamvis & hoc, ut cetera silentio prætereat) nihil à vero abhorrere magis quam Flevum quoque in maris Austrini interiori sinu, ut habet ejus pinax, collocare, ubi Oceani ille status æstus, qui circa Flevũ perpetuo & recurrentibus vicibus observatur, nullus omnino est. Vt ita liqueat tantum abesse ut nos, ubicunque est accessus & recessus Oceani, negaverimus esse vada, ut id vel maxime asseruerimus; hac tamen cautione, ut quibusdam littoribus plane sicca remaneat humus, alijs vada sint, quæ tranari possunt, alijs aliter se habentibus.*

CLV.

CLUVERUS.

Pag. 66. vers. 53. AVdin chorographe quid gravissimi authores testētur? etiāne plus hic valebunt annales tui, quorū neque tu neq; quisquā alius certum auctorem monstraverit? haud puto. Hinc igitur, quum eadem sit hodie vadosi maris ad Frisicum littus altitudo, quæ est ad Cauchorum oram inter Amisiam & Visurgim, eandem etiam conditionem olim utriusque littoris æstuariorum fuisse credendum est.

RESPONSIO.

Quid testantur gravissimi auctores? nullam hic soli aut littoris immutationem, quod quærebatur, unquam factam? nequaquā. Sed referunt, & inter ceteros Dio, Drusum quum in fines Cauchorum tenderet, in periculum incidisse navibus, maris defluxu, in sicco sidentibus. At hoc quis negat & hodie quoque fieri? vulgoque tum dicimus, etiamsi undæ vadum tegant, sed ita, ut levari navis nequeat, dicimus inquam, **hy sidt op't drooge**/ ἐπὶ ξηρῷ, in sicco, *ut Dio loquitur. Tale quoque vadum, aquis repletum, Tacitus intellexit, narrans 2 Annal. Cæsarem Germanicum parte legionum exonerasse classem, quò nimirum, sunt ejus verba,* levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret. *Vbi observandum nostrates hodieq; vadosum eo tractu mare trajicientes id suo more & idiomate dicere;* **over de watten seylen.** *Quod porro*

porro ad Annales à nobis citatos spectet, quorũ contemtim & cum stomacho mentionem injicis, quasi eorum certus auctor monstrari non possit. Quid? Nonne eorum auctores dedimus, præter Plinium aliosque veteres, Melam præsertim & Tacitum itemq; Aimonium? Quorum Tacitus & Mela, quod ad hanc rem, Responsione sequenti iterum adducentur; Aimonij locum superius in eundem finem plenius adscripsimus; ut omittam præterea testes oculatos & Abbatem ipsum Stadensem; de quo mox iterum nonnihil. Quam ergo egregia illa tua conclusio sit ex hisce supraq; jam dictis manifestum est.

CLVVERVS.

CHorographus noster, quamvis heic etiam cum Tacito, tum Ptolemæo contradicere ausus, castellum id intra Rhenum referens; tamen pro argumẽto seu probabili ratione quod adferret, nihil habuit: nudeque id negat. Fides igitur penes ipsum sit. nos castellum in Sallingia insula fuisse dictis duobus auctoribus credimus. Ibid. pag. 67. v. 27.

RESPONSIO.

Falsissimum & calumnia est me vel verbo Ptolemæi ea Disceptatione, quæ hic intelligi debet 32, mentionem fecisse, ut taceam contradixisse. Hoc diximus dicimusque etiamnum Taciti hæc verba Annal. 4; Olennius infensos Frisios fugâ prævenit receptus *(è continenti scilicet)* castello cui nomen Flevum & haud spernenda

nenda illic civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat, *accipienda non tam de extremo littore & Flevo, quàm de* Flevo insula, *cujus Mela meminit, in ipso lacu; cujusq; vadum adhuc superest sub nomine* t'oude Vlie/ *nec referre etiamsi* littora *nominentur, cum & idem* vetus Flevum, *seu* insula *Melæ, juxta littus sit, quemadmodum dicta Disceptatione 32 aliaque huc pertinentia annotavimus. Quibus & addi queat insignis locus Servij ad illud Virgilij lib. 1 Æneid.* Lavinaque venit littora: Littora, *inquit*, dicitur terra quæque mari vicina. *Hæc quidem, aut in hunc fere tum sensum nos; addidimusque insuper nec de eo tamen (modò Flevum, seu in Flevo hoc castellum intelligatur) magnopere cõtendere nos præsertim quia haud expressis auctorum verbis res liquet. En contradictionem nostram. At tu castellum istud in Sallingia insula, ita enim* Schellingen *appellas, fuisse dictis auctoribus Ptolæmeo & Tacito te jam credere ais. Verum ego si quæram, ubi dicti duo auctores*, Sallingiam *vel nominant, quid præter frigidissimas conjecturas & res loco ineptas adferre aut respondere poteris? adeò ut qui tam manifestæ in nos calumniæ etiam hic reus sis, quid non meritus videbere? Sane si similem tui adversarium nactus fuisses, stomachosum & rixantem, quibus te flagris, quibus convitijs redonatum dimisisset!*

CLVVERVS

CLVVERVS.

INcurrit heic denuo, & ad reliqua festinantẽ moratur strenuus adversarius. Negat contra Melam *ingentem* heic *lacum*; negat contra Tacitum *immensos*: negat Austrinam partem dicti lacus Zuyder zee tunc temporis fuisse, sed Taciti ait & Plinij verba de extima tantùm illa, versus Boream & Flevum portione intelligenda. Itane verò Grammatice? adeone ignaros omnes putas linguæ Latinæ, uti nesciant quid ingens sit, quid *immensum*? Longe major sane erat Brigantinus lacus, quàm quem tu heic nobis apud Flevum designas: nec *ingentem* tamen illum adpellare dignum habuit Mela. Sed Plinij quæ contra nos citas videamus verba. *Helium, inquit, & Flevum appellantur ostia, in qua effusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit.* Sane adversari mihi etiam sine ratione institutum tibi fuit. nam quis sanæ ac bonæ mentis homo ista non de integris Rheni duobus extimijs alveis intelligat, quorum alter versus Septentrionem in lacus, alter versus occidentem in Mosam spargitur? Hoc certe est maligne ac per libidinem detorquere verba auctorum, non ingenue ex animi sententia explicare. Ecquid vero æquum tibi videtur, Hæredio tuo potius, nupero scriptori, de priscis seculis sine auctoribus credere, quam ipsis auctoribus sui ævi res prodentibus? Injurius non modò in me, sed in omnes tua lectoros, sciens prudensque esse voluisti. Ex Alberti Abbatis Stadensis Chronico allegas, anno CIↃ. CLII Muda, non Amsterodamo ad- Ibid. pag. 69. vers. 5.

H usque

usque Staveram navigari solitum; ubi tum, sicuti hodie Amsterodami, eorum navigiorum, quæ in mare Boreale abitura Norvegiam, Daniam, Borussiam & illa loca petebant, statio esset. Mudam usque, quæ vulgo dicitur Geelmuden, ad ostium Vectæ amnis, si jam tum lacus pertinuit, qui non credam versus Amsterodami oras pertinuisse! an vero Amsterodami novitate (cujus tu tamen antiquitates nobis tradidisti) lacuum circumiacentium ætatem metiri voluisti? Sed tuo te genio relinquo.

RESPONSIO.

Ante omnia lectori constare debet huc pertinere Disceptationes nostras 24 & 25. Quæ accuratius inspectæ ac collatæ cum hisce Cluveri verbis satis indicabunt, quàm ille malignum interpretem, aut potius (quod sibi convenire non ignarus nobis supra objiciebat) obtrectatorem hic agat. Quin & hoc quodammodo solemne ei & familiare observamus, ut & ante ostensum, quū se maxime in arctum cogi animadvertit, ut tum præcipue maledictis tumultuetur ac sæviat, inq; bonos & innocentes jaciat, quod sibi proprie competere atque objici debere intelligit. Sane hoc isto loco insigniter apparet, ubi monstrosum illud & imaginarium commentum suum tutari adhuc satagit de Austrino sinu; Eum scilicet, non tantum quà ab Isala Boream & Flevum versus spectat, sed interiorem etiam ejusdem portionem, quæque Amsterodamum & Haerlemū perfundit, olim & antiquissimo Romanorum ævo eadē, quā nunc,

nunc, capacitate fuisse una cum lacubus circũjacentibus qui nunc Holl sparsim inundant variis nominibus. Hæc nos dictis duabus Disceptationib⁹ falsa esse mõstravimus; & priori quidẽ monuimus vocabulũ lacus *in verbis Melæ, Plinij, Taciti eousque nõ trahendũ; altera ostendimus chronologorũ testimoniis sinum Austrinum præsertim interiorẽ, cum lacubus aliquot, post ævum Romanorum maxima sui parte enatum. Sed rem propius jam videamus, hominisque latibula ac fraudes in apertum, quantum potest, deducamus:*

Primum, inquit, negare nos contra Melam ingentẽ *hic* lacum; *contra Tacitum* immẽsos. *Quod utrumque insigne falsiloquium est. Lector utramque Disceptationem legat ac relegat, causa cadam, si vel gry eorum reperiat. Deinde quod ait negare nos Austrinam partẽ dicti lacus,* Zuiderzee, *antiquitus fuisse, id concedimus, si, ut verba nostra dicta Disceptatione habent, major & potissima ejus sinus portio accipiatur. Postea quærit an adeo ignaros omnes putem Latinæ linguæ, ut nesciant quid* ingens *sit, quid* immensum*? Quem in finem id Cluvere? An ideo ut inde inferas* ingentem lacum *Melæ, & Taciti* immensos, *etiam Australiorem partem cum reliquis interioribus versus Amsterodamum, Haerlemum & Leidam lacubus, complecti? At hoc non posse, ipsi illi authores tibi dicent. Tacitus enim ait,* ambisse Frisios lacus immensos & classibus Romanorum

 navi-

navigatos: *At quosnam lacus navigarunt Romani, Drusus & Germanicus Amisiam ex Isala seu tertio Rheni alveo petituri, nisi sinus Austrini partem extimam & Borealem? quam & Frisij majores minoresque adusque Oceanum ambierunt hodieque ambiunt. Mela autem cum ait Rheni hujus seu Isalæ alveum primo angustum & sui similem fuisse, & post ripis longe lateque recedentibus jam non amnem sed* ingentem lacum *& ubi campos implevit*, Flevum *dictum; ea ad sinum interiorem quomodo applicentur, ubi Flevus nullus? Et quia Grammaticum me vocas, age ponamus Veneto aut Brigantino lacu fuisse minorem, cur nihilominus Mela* lacum ingentem, *Tacitus* immensos *nominare non possit? Mela enim* ingentem *dicit aspectu eo, quod non amplius esset amnis; nam ait*; & jam non amnis, sed ingens lacus. *Tacitus vero* immensos *vocans totum circuitum respicit, cum ait*, ambisse Frisios immensos lacus, &c. *Quin & eadem voce idem alijque historiographi Latini, sæpenumero res multo angustiores comprehendunt. Sic 2 Annal*. Mosæ os immensum *appellat*; ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur. *Et Plinius de stato Oceani æstu agens* * *ait*: vasto meatu bis dierũ noctiumq; singularum intervallis, effusus in immẽsum agitur Oceanus. in immẽsum, *inquit, cum tamẽ constet statũ eum æstum Oceani*

* Lib. 16. cap. 1.

intra

intra certum terminum ac mensuram teneri. Similiter & Velleius Paterculus nō veritus est corpora *Germanorum* immensa *dicere lib. 2 pag. 89.* Omnis eorū juvētus infinita numero immēsa corporibus. *Quod autē ais Melā non ausum* Brigantinū lacum *apellare* ingentē. *Quid? Strabonē nō legeras, qui diserte λίμνην μεγάλην dicit lib. 4 pag. 133 editionis Casaubonia. μέγας autem lexicographis tam* ingens *redditur quam* magnus.

Deinde ad Pliný verba à nobis cōtra te citata quæ adfers, ecquis ea enodabit Oedipus? Vt tamen res intelligatur, quia tu occultas, hoc diximus dicimusq; Plinium, cum ait lib. 4 cap. 15 sæpe jam laudato; Rhenū in lacus se spargere à Septentrione, *non à meridie, lacus hic agnovisse versus Septentrionem seu Flevum, nō vero versus meridiem. Tu autem quod ais, ista de integris Rheni duobus extimis alveis intelligēda quorum alter versus septentrionē in lacus, alter versus occidētē in Mosā spargitur, quid id adversus nos aut pro te facit; imo diserte cōtra te facit, cū alter Rheni extimus alveus versus septentrionē, nō versus meridiē in lacus spargatur; quid enim nos aliud volumus? quapropter in me quod immertentē hic jacis nōne de te proprie dicetur, te inquā maligne & per libidinē detorquere nostra & authorū sensa nec ingenuè ea proponere? Nā demonstrandū tibi erat Pliniū etiā versus meridiē lacus agnovisse, & Tacitū, cum inquit lacus à Romanis navigatos*

ostendendum erat, præter eos qui Boreã spectant, alios versus meridiem intellexisse ab eis navigatos. En auctores sui ævi res prodentes, quibus nos & Haemrodius quoque hac parte consentientia dicimus; tu è diametro contraria adducis. Si tibi hic veri studium aut spes fuisset victoriæ, ordine & κατὰ πόδας ad argumenta nostra, quæ Disceptatione 24 allata sunt, nec non ad documenta Chronologorum, quæ posita Disceptatione sequente respondisses. At tu veritatis odio, ijs omnibus omissis, te ad inhumanas & tibi solemnes verbigerationes ac convitia confers; & ne nihil videaris hic dixisse, adducis nescio quid adversus testimonium Alberti Abbatis Stadensis. Quod cum inter cetera legisset vir κατὰ ἐξοχὴν harum literarum peritus atq; intelligens Petrus Scriverius admonuit me ut locum inspicerem discerémq; vel ex eo quàm esses chorographiæ nostratium regionum studiosus & gnarus, qui Geelmudæ & Mudæ quod sit discrimen ignoraris. Ego vix credens oculis, ambiguitate quadam te ludere existimabam, nisi mox eodem hoc Capite repetivisses, his verbis: Geelmuyden olim etiam fuisse clarum supra ex Alberto Abbate Stadense cognovimus. *En insignem & dignam geographo annotationem, præsertim tali, qui Ortelios, Iunios, Scaligeros ceteraque ejusmodi ævi nostri lumina non geographos sed literatores, aut si geographos infelices præ se & veluti fungos solet judicare. Verbis vero Alberti*

berti quid potest esse clarius? qui hæc de Mudâ Amsterodamo proxima dum accipit, indicat simul, adeò adhuc * *suo ævo post decem nimirum amplius à Druso Germanico secula, australiorem hujus sinus partem fuisse tenuem nec magnum, cujusmodi jam, mare, ut statio grandiorum navium Staveræ Frisiorum tum esset; quò Vltrajecto & Mudâ lembis proficiscebantur, qui in Daniam & loca Borealiora onerarijs erant soluturi.*

* Anno 1152.

CLVVERVS.

FAlsum est, quod chorographus heic pro defensione alienorum errorum ingerit τὸ Visurgum exscriptorũ imperitiâ & quia sæpiuscule in hac historia & expeditionibus Germanici occurrat, ut glossulam subrepsisse. nam hoc amnis nomen nusquam aliàs hoc primo Annal. libro * occurrit. tum vero si exscriptor intellexit quæ scripsit, peccare in eo tam facile haud potuit: sin verò plane omnium fuit imperitus, ut vult chorographus, eorum certe, quæ sequenti demum perscripta erant libro, parum fuit gnarus: aut si forte injecto oculo legit, parum memor. nihilque certius quàm si ille glossulam addere de suo voluisset Rheni nomen immissurum fuisse. cujus crebra cũ antehac tum postmodum mentio: eoque magis, quia hoc proxime antea perscripserat. Vrget nihilominus aliis argumentis chorographus: nempe Germanicum partem equitatus, littore Oceani, Rhenum petere jussisse: meque ipsum fateri, Germanicum ab Amisia profectum similiter Rhenum repetere instituisse, eodem terra præmissis duabus legionibus Vitellio ducendis, eadem scilicet via, quâ equites ire præceperat. Rhenum igitur perpetuo nominat Vidrum nusquam. Hæc certe cuncta pro callido ingenio eius. Semel hic nominatur Rhenus, in profectione equitum, in narratione de navali & terrestri itineribus nulla eius mentio. Itaque tam mihi licet suspicari, jussisse Germanicum ad Vidrum ducere legiones, quam ipsi nõ jussisse pro mea autẽ sententia facit vox mendosa *Visurgum*. sed de hac re lis jam satis longa ac lectori tædiosa.

Ibid. pag. 71. vers. 7.

* *Occurrere primo Annal. nos nusquam diximus, sed in hac (Taciti) historia et expeditionibus Germanici lib. puta 2.*

RESPONSIO.

Hæc cum Disc ep. 33 si conferantur, satis ostendent nihil hîc adferri, quod argumentis nostris vel minimum satisfaciat. Nam illus sane verbis Taciti Annal. 1: penetratumq; ad amnem, quo Cæsar classe contenderat, *omnino tibi, qui* ad amnem Vidrum *legi vis probandum sit, antea indicatum Tacito, Cæsarē* ad Vidrum *classe contendisse, ob verba quæ sequuntur*, quò Cæsar classe cōtenderat. *At jam ex Tacito liquet, Cæsarem Germanicum non ad Vidrum sed ad Rhenum classe, ut venerat, contendisse. Dixerat enim ante:* Mox reducto ad Amisiā exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat; pars equitū littore Oceani, petere Rhenum jussa. *Ipse, inquit, Cæsar, ut advexerat, legiones classe regredi ad Rhenū facit eodemq; partē eqitum littore Oceani, terrâ scil. per fines Frisiorum, uti etiā advenerat redire jubens. Dixerat enim hoc ipso primo Annal. de Pedone & copijs ad Amisiam cōtendentibus:* Equitē Pedo præfectus finibus Frisiorū ducit. ipse (*Cæsar*) impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit; simulq; pedes eques, classis apud prædictū amnē (*Amisiam*) convenere. *Quin & ipse tu Cluvere, nonne idē fateris, pag. 70 his verbis?* Germanicus quippe postquā partem equitatis littore Oceani Rhenum petere jusserat, ipse classe ab Amisia profectus Rhenum repetere instituit, per vadosum

*Lib. 3. Antiq. Ger.

do sum mare & lacus. *Si ergo* Rhenum *repetijt Cæsar, quomodo jam conveniet* Vidrus, *aut ista tua correctio:* penetratumq; ad amnem Vidrum, quò Cæsar classe contenderat? *Vidrus inquã, quo Cæsarem classe nõ contendisse, sed ad Rhenũ, & tute & Tacitus dixerat: Vidrus inquam, cujus nec usquam tota hac narratione imo ne in toto quidem Tacito ullibi sit mentio. Vides itaque scopas dissolutas tibique ipsi contradicentia inferri? Nã quod subijcis:* semel hic nominatur Rhenus in profectione equitum, in narratione de navali ac terrestri itineribus nulla ejus mentio, *Et Tacito, ut jam ostendimus, & te ipso cõfutatur, qui diserte, loco jam dicto, fassus fuisti verbis Taciti, Cæsarẽ mari seu classe ab Amisia profectum, Rhenũ repetere instituisse nec Pedonem tantum & Vitellium, qui uterque eodem, id est* Rhenum *versus* littore Oceani, *ut loquitur Tacitus, seu finibus* Frisiorum *ducebant, sed & Cacinã, terrestri similiter itinere, Rhenũ, nõ quidẽ, ut illi, inferiorẽ, sed superiorẽ versus, ubi & põs erat, regressum idẽ testatur auctor. Hoc primo. Deinde inter cetera argumenta, quæ habet eadem Disceptatio nostra jam dicta, quæque studio, ut solet, alto præterit silentio Cluverus, illud sub finem fere Disceptationis positum, haud leviter è Vegetio illustrabitur. Nam ubi dicimus:* Vidrum non flumen sed fluviolum, quis credat duas instructissimas legiones & par-

tem equitatus in omnẽ eventum & occasionem ad manus & in promptu non habuisse, aut ex tempore quibus transirẽt, aptare sibi nequisse, ut opus scil. fuisset illis excipiendis classem totam eo flectere? *Addi inquam ex Vegetio aut inspici ejus liber 2 cap 11, item cap. 7 lib. 3 potest: in quibus ostẽditur Romanorũ legiones semper & in omnẽ occasionẽ ad manum habuisse fabros, tignarios, structores aliosq; artifices, tũ & monoxylos aliaque navigia ac tabulamenta carpentis imposita, quibus flumina etiam maiora transibantur.*

In Taciti ergo verbis supra positis, penetratumq; ad amnẽ, quo Cæsar classe contenderat, *vox* amnem ἁπλῶς *&* κατ᾽ ἐξοχὴν, *pro* Rheno *prolata, quia proxime & passim de Rheno sermo præcedit. exemplis in hanc rem ex eodẽ Tacito allatis Discep. 33 supra indicata, hæc addenda: Hist. 5:* crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis. *Ibid.* præcipites Germani in amnẽ aguntur. *Itẽ in Germania:* quantulũ enim amnis obstabat. *Ubiq; Rhenus intelligitur antea scil. nominatus. Sic & Annal. 2* Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi in duos amnes dividitur. *Nec aliter* ripa *eidem Tacito usurpatur ut alibi etiã ostendimus, sæpiusq; occurrit præsertim hoc primo Annal. ut:* augebat metum gnarus seditionis Romanæ & si omitteretur ripa, invasurus hostis. *Et statim ibidem:* simul exterritis qui obstiterant raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset,

eessisset,pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos & nihil ausos. *Vtrobivis* Rhenus *seu* ripaRheni *intelligēda,de quo jā ante locutus fuerat. AtCluverus posteriori hocTaciti loco,etiamsi,ut ex citatis ejus supra patet, nō nescijt toto hoc primo Annaliū,* Visurgū *ne quidē nominatum Tacito,tamen hic* ripam,*novo& inaudito exemplo suique oblitus,*Visurgum *interpretatur lib.3 Antiq.Germ. At retrahere eum præter alia ab hac audacia debuerat cū præcedens vox* ripæ *ad Rhenum,ante nominatū,spectans, tum &* hibernorum *vocabulum hic proxime sequens. Hiberna enim non ad Visurgum aut in medijs hostibus,sed ad Rhenum & in limite imperij Romanis habita & collocata cuivis constare potest. Florus autē quod refert Drusum custodias ac præsidia per Albim ac Visurgim disposuisse huc non facere,fuisseque ea momentanea atque æstivæ præsertim militiæ alibi ostensum est.* Antiq.Ger pag.74lib.3.

*Addendum hic obiter, quamvis Cluvero non notatum, virum doctum,qui, ut ante in Disceptationibus pag.138 meminimus, magni cujusdā viri monitu recte statuerat legendum:*amnem quoCæsar classe contenderat,*omisso glossemate* Visurgum;*postea ab ea (quod sumus mirati) resilijsse sententia* Vidrumque *similiter ingessisse*; Quia Ptolemæus in hoc tractu (*ita scilicet probat*) Vidrum novit;&ille ipse est quē Vechtam hodie vocant & ad Geelmudam in sinum Austrinum,mox Oceanum influit. Sane Taciti narratio evincit pensitata:ecce ad Amisiam

jam demisit Vitellium, ipse naves conscendit: uterque progressus, ille terra hic mari. & ubi convenire ad amnem nisi hic potuere? enimvero portus ibi à Ptolemæo locatur Manarmanis. Neque abhorret Staveram esse. *At factis similiter respõsus est. Naves conscendit Cæsar Germanicus ad Amisiam* Rhenum, *ut ex Tacito supra monstratum, non autem* Vidrum, *petiturus: eodem, versus Rhenum scil. demissis Pedone & Vitellio cum parte equitatus nec non secundâ & quartadecimâ legionibus. Vitellius & Pedo terra per littus Frisiorum progressi, ad Rheni dictum amnem, proximum Frisijs, nunc Isalam dicimus, ubi & Nivalia agnoscit Ptolemæus, cõvenêre. Atq; ibi eædẽ* legiones, *quas ut dictum terrestri itinere per fines & littus Frisiorũ duxerat Vitellius, &* equitum pars *Pedoni concredita,* navibus *(Cæsaris scil.)* impositæ vagante fama *(verba ita porro Taciti habent)* submersas. nec fides salutis fuit antequam Cæsarẽ exercitumq; reducẽ vidêre. *Quibus ex Taciti verbis hoc pacto id unũ contractis discussum jã satis hoc omne nubilum existimo. Nã quod Staveram aut portum* Manarmanẽ *idem hic collocat, error similiter est. Inter Staveram enim & Vechtã locorum ea est distantia ut prorsus ἀπέρι διόνυσον sit, Staverã Vechtæ aut Vidri portum facere: ut omittam addere, Vidrum non flumen sed ut modo dictum rivum hodieq;, incapacem fuisse tantæ classis, accedẽte præsertim novo secundæ & quartæ dicimæ legionũ cum parte equitatus one-*

re: Sane ad Vidrum si voluisset easdem legiones & equitatum recipere navibus Germanicus cur ulterius ad Rhenum seu Isalam usque, Pedonem Vitelliumque cum iisdem demisit?

CLVVERVS.

Falso autem ille adversarius noster Salam Strabonis interpretatur Isalam, quem errorem quamvis ex dicto Commentario meo non potuerit non agnoscere, tamen vindictæ magis quã veritati indulgens, pluribus eum in Disceptationibus chorographicis cõtra me defendere contendit. Maximum eius argumentum est, quia Drusus classe Amisiam petierat quum Cauchos hac expeditione peteret, Idque constare affirmat. Si quid Plinij rerũ Germanicarum habeat, vel alium quempiam auctorum illius ævi, qui non exstet, vellem ne seculo suo invideret, nec me diutius errare sineret. Nam in Dione, qui unus hanc expeditionem Drusi diligentius notavit nihil de ista profectione navali reperio. Patiatur igitur chorographus, me sibi non credere donec meliores se testes producat. Cap. 49. pag. 227. vers. 52.

RESPONSIO.

Quam falso id à nobis factum argumenta Disceptatione 31 posita ostendunt: Ostendis & ipse qui ea omnia, quasi indicta, prudens prateris; unum solum arripiens, quod tanti non erat, tu tamen maximum argumentorum vocas. Nam sive terrâ sive mari eam expeditionem auspicatus sit Drusus, hoc interim ex Dione certum est, intra Cattorum fines ac cis Visurgim prima excursione constitisse: atq; inde in Cheruscos ad inferiora ejusdẽ Visurgis conversum ibiq; trãsisse Visurgim ac recta Albim populando petiisse,

sed

sed frustra conatum transire, fixis trophæis recessisse. Quæ omnia si accuratius inspiciātur ad Salā interioris Germaniæ, ut plenius, præter cetera, Discep. dicta indicatum est, haud ducunt. Quod vero obijcis Dionem, qui unus eam expeditionem Drusi diligentius notavit de ista profectione navali nihil tradere, refert scire nos Tacitū & Strabonem in mente habuisse. Commemorat enim Tacitus lib. 2 Annal. Germanicum Drusi filium, ubi Chattos & Cheruscos secundò esset invasurus, mille navibus fossam Drusianā ingressum precatumq; Drusum patrem, ut se eadem ausum, libens placatusq; exemplo ac memoriâ consiliorum atq; operum juvaret. Strabo lib. 7 de obitu & suprema hac ejusdem Drusi expeditione postquā dixisset, addit continuo: Hic non gentes modó plurimas subegit, sed & insulas in legendo littore obvias. *Et ante eodem libro retulerat quoque in Amisia flumine eundem Drusum superasse Bructeros. Dio, qui res ejus in Germania gestas sub finem libri 54 & initio lib. 55 distincte recenset, tantum semel, nimirum lib. 54 navalis expeditionis meminit quā* in Frisios secundo Rheno devectus *atq; in fines Cauchorum profectus sit, nusquam, quod ex Strabone & Tacito jam diximus, speciatim addito. Quin & idem Tacitus in Germania de Druso & Oceano Germanico agens eum primum fuisse ait qui id mare tētavit.* Ipsum quin etiam Oceanum, *inquit*, illa tentavimus: & superesse adhuc Herculis colū-

nas

nas fama vulgavit. *Et statim*: Nec defuit audētia Druso Germanico, sed obstit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tētavit. *Cui & Suetonius accedit in Claudio*: Drusus Germanicus Augusti privignus &c. in quæsturę præturaque honore dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanum Septentrionalē primus Romanorum ducum navigavit: *Nec de alia navigatione illa Plinii lib. 2 cap. 67 accipienda*: Septentrionalis Oceanus maiore ex parte navigatus est auspiciis divi Augusti, Germaniā classe circumvecta ad CIMBRORVM PROMONTORIVM, & inde immenso mari prospecto aut fama cognito &c. *Quos tu authores si secutus fuisses, Cluvere non vero Velleium Paterculum adulatorie hæc Tiberio tribuentem lib. 2 ubi inquit*: Deniq;, quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadragentesimum milliarium, à Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonū Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus: & eodem mira felicitate & cura ducis (Tiberij) temporū quoq; observantia, clasis, quæ Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari, flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se iunxit. *Si inquam, non hunc, sed priores jam indicatos fuisses in *Germania tua secutus, aut cum ijs Velleium si contulisses, facile vidisses falso scribi*, nunquam id ante spe conceptum, *item* inauditum & incognitum id ante Tiberium mare fuisse. *imo vel Animadversiones ad eundem Velleium I. Lipsi, quem ut litteratorem in hac palæstra soles contemnere, si adijsses saniora te docuisset*

* Lib. 3. c. 37 pag. 154

cuisset & Drusum Tiberij fratrē jā ante, ut modo ostēsum hoc mare navigasse. Nec interea hoc ideó adduxero, quasi de posteriori hac Drusi expeditione accipiendum. Confidentia si os obturarit, satis esto. De Sala quoq; id firmum puto, Isala vetus & primigeniū vocabulum Salā olim fuisse. Quomodo nec ipse tu diffiteri potes pag. 60 l. 3 Ant. Ger.

Quod autem vindictæ magis, quam veritati nos indulsisse criminaris, dum adversus te Disceptiones edimus, antea nonnhil responsum memini: iterumq; ac serio testor vindictæ ac studij causas procul habuisse, veriq; solius suscepisse patrocinium. Vnde & in illis ipsis Disceptationibus, uti & hic quoque omnibus impotentibus atq; inclementibus dictis nec nō verborum convitijs ac falsiloquijs, quibus isti, qui rebus & causa distituuntur, implere chartas consverunt, quantum potuit, semotis, ipsam sine fuco & fallacijs, fide bona rem proposui. Quamquam fatemur vacillasse non semel nos & de gradu, quē institeramus quasi dejectos Herculeis illis tuis ac ferocibus vocibus, quibus me doctosq; immerentes passim invadis. Superavimus tamen, & alicubi fortasse Romane quiddam prolatum intercurrat vel jocus quoque, sed innoxia omnia & sine acerbitate, quæque apud ingenuos ac liberales animos haud excusanda magnopere persvasum habemus, gnari

Nec gratam faciem cui gelasinus abest.

FINIS.








IHS

